



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In Quo Orationes Sacrae, & Panegyricae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Orationes Sacrae.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-71028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71028)



ORATIONES

SACRÆ.

ADMONITIO.

 Uæ futura sit Orationum istarum conditio, nihil ausim ego dicere, adeò lubricum pariter & tentatum à paucis tramitem videor incessisse. Tamen profiteri possum citra jactantiam & ostentationem, suffragatam ipsis fuisse multorum sententiam, quibus, nisi restitisssem, jam diu illæ non forent in mea potestate. Dicebant illi (quod me mirum in modum stimulabat) esse in iis Conciunculis momenti plurimùm ad erudiendos Adolescentum mores, & tenero Religionis ac Pietatis sensu imbuendos. Imò nec dubitabant quidam affirmare, hinc sumere sibi eos exemplum posse, quibus hæc provincia obtigit, ut Juventutem



IN F E S T O
S A N C T O R U M O M N I U M .

O R A T I O P R I M A .

Sancti estote. Levit. 11. cap.

Quam luctuoso Sanctitatis fato fieri dicam, Auditores, ut, cum tam multis sacrarum Literarum testimoniis gravissimum illius consecrandæ præceptum esse constet, tamen sic ab ea exercenda plerique mortalium refugiant, quasi vel in paucos lata lex, vel etiam in nullos esse videretur? Quod enim genus hominum, ut vivitur, qui flexus ætatis, quæ vitæ conditio est, quibus suæ non sint, eadè que, si singulos audias, causæ legitimæ, propter quas Sanctitatis jugum aut omnino detrectare, aut certè magna ex parte declinare se posse existiment?

At quoniam neque hujus loci est, neque per ipsas temporis angustias licet, alios post alios aggredi, & quas quisque afferat adversus Sanctitatem præjudicatas opiniones, singulatim confutare; eos mihi limites præscribam, Adolescentes Christiani, ut, illis prætermittis, quæ ad cæteros hominum pertinent, quædam tantum prosequendæ Sanctitatis impedimenta, quæ circumferuntur passim à vobis, diligentius excutiam, & inania esse ac nulla planè aperteque demonstrarem. Est enim ad perniciem suam ingeniosa magis, quàm dici queat, vestra hæc ætas in

contendendis consueñdisque variis nominibus, quorum obtentu Sanctitatis labores subterfugiat.

Alii diffidentes plùs æquo viribus non firmo satis ac forti animo instructam Juventutem putant, ut, vel depravatos, quibus illa jam tum conficitur, animi motus continuò refranare, vel asperitates atque molestias, quibus Sanctitatis via consita est, superare possit. Alii Sanctitatem ajunt opus esse maturioris cujusdam ac superioris intelligentiæ, ad quam ne aspirare quidem teneræ mentis imbecillitas debeat. Alii cum magna atque ardua exigi arbitrentur ab eo, qui per sanctiorem vitæ normam placere Deo velit, Adolescentiam defendunt exiguis plerumque ac nullius pœnè momenti rebus totam contineri. Alii, quia sunt in eorum consortio positi, qui severioris pietatis ac strictioris disciplinæ leges ventilare ac cavillari solent, durius æstimant conflictari cum ejusmodi ingeniis, eorumque cavillationibus ac jocis esse obnoxios. Alii denique conficii levitatis atque inconstantia, quæ Junioribus vulgò adhærescit, frustra eos esse jactitant, qui præmaturæ atque intempestivæ Sanctitatis studio correpti eam ineunt vitæ formam, à qua, peractis demum studiis, & factâ rerum conversione, postmodum recedere necesse sit.

Hæc sunt, opinor, Adolescentes Christiani, quæ Juvenum bona pars inertia atque socordia suæ tanquam velamen quoddam obtendunt; his speciosis freti ratiunculis validissimas quasque virtutis ac Sanctitatis incitationes eludunt. Quæ si omnia elevare uno verbo ac confutare velim, sufficiat mihi ostentare vobis innumerabilem illam Sanctorum multitudinem, quos, ad inflammandos amore Sanctitatis hominum animos, nostris hodie oculis sancta mater Ecclesia subjicit.

Quàm multi enim se offerunt, inter fortunata beatarum mentium agmina, juvenes vobis ætate pares.

res.

res, qui Sanctitatis gloriâ inferiores nemini, proximi folio divinæ Majestatis assistunt. Video, qui ingentiam pueritiæ imbecillitatem obliti quodammodo, & inter acerbissimos cruciatus fortes invictique cum acerrimis Religionis Fideique defensoribus de constantiâ laude certarent. Video, qui rudi atque inculto literis ingenio, recondita quæque cœlestis doctrinæ mysteria pervidère. Video, qui iisdem illis, quibus quotidie defungimini vitæ communis officii, ad altissimum Sanctitatis gradum pervenerunt. Video, qui positi in medio nationis pravæ, sic in suscepto semel religiosioris vitæ proposito perstitère, ut neque improborum jocos aut ludibriis dejici, neque blanditiis emolliri potuerint. Denique video, qui ex isto scholarum umbraculo, ex ista strictiore disciplina in apertam lucem & liberiore vitæ campum progressi, inter gravissimas tentationum oppugnationes illibatam usque morum innocentiam retinuerunt.

Nam quid ego hîc Agathas, Agnetes, Celfos, Aloysios, Stanislaos, Bercios, Rufinos, Ubaldinos aliosque quamplurimos, notissima vobis nomina, laudare aggrediar, qui ætatem hanc vestram incredibilem fortitudine, pietate singulari, integritate morum, eximie sanctitatis excellentiâ commendârunt. In tanta tot illustrium exemplorum luce quis locus esse possit illis præjudiciis, quibus adversus Sanctitatis incitamenta plerique abutuntur? Quas objiciant difficultates tam insuperabiles, quas non senserint illi, & divinæ gratiæ præsidio non vicerint. Huic tamen argumento, cujus vim nemo vestrum non videt, supersedere in præsentia velim. Venio ad excutienda diligentius, quæ obtenduntur à vobis Sanctitatis impedimenta, & nullo proposito rerum dicendarum ordine, illa, ut se se offerent, sic arripiam, & quàm sint inania ac nulla, demonstrabo.

A s

Non

4 O R A T I O N E S

Non habet, ut vobis quidem videtur, vestra hæc ætas firmitatis satis atque roboris, ut stare possit contra difficultates, quibus consistam fingitis Sanctitatis semitam? Itane porro est Adolescentes Christiani? huc cæne animum vestrum induxistis? Videte, amabo, quàm præpostera isthæc excusatio sit, quàm injuriosa in vosmet ipsos, quàm aliena ab ea opinione, quam haberi de vobis ambiciosius affectatis? Quæ enim pars est ætatis ulla ad audendum quidlibet alacrior, ad perrumpendos obices paratior, ad subeundos gravissimos periculorum casus Juventute confidentior? Postquam semel ab erudito scholarum pulvere, & ludicris ingenii doctrinæque certaminibus ad veras crudioresque pugnas vos transstulit natalium splendor, & insita optimo cuique virtus; egétne stimulari ætatis vestræ socordia, an potius audacia refrænari? Imò, quid tam operosum est, tam invium, tam plenum periculis, quod Juvenum ardor non ambiat, non occupet, non præripiat? Lacesendus hostis in propugnaculis? oppugnandæ inaccessæ moles repetitis assultibus? perrumpendi disturbandi que densissimi hostium cunei? Illuc Juventutis totius flos lectissimus nudis pectoribus, rejectis galeis, crepitante nequicquam auribus æratâ grandine, irrupit, emicat, volat: igne, ferro, manu, vi cautes asperas, munitos aggeres, proruit, dissipat, everit; hostem aggreditur, vincit, fugat, stationes occupat! Standum advertus hostis ingruentis impetum? excipiendus ac subeundus cannarum catapultarumque hinc atque inde furentium fragor? quis movere gradum de vestigio, quis claudicare vel retorquere oculos, quis demonstrare vel levissimam timoris significationem non erubescat? Cadunt à dextris & à sinistris percussi globulis igneis focili? sufficiunt alii continuo, qui morientium locum subeant ac virtutem. Minuuntur ac perturbantur ordines eorum multitudine, qui corruunt? Redintegrat.

tegrantur illico ac restituntur. Eadem in omnibus confidentia, constantia par, similis magnanimitas!

Quid reliquos enumerem militiæ labores atque incommoda? Versari ferè semper in castris, in pugnis, in obsidionibus? Vestitus asper, tenuis victus, rarus somnus, frequentes vigiliæ, humi cubitus? Istæ hæc ludi sunt & oblectamenta Juventutis, ad quæ tam lætos, tam alacres, tam exultantes animis convolare videas, quàm si ad ludicram atque umbratilem palæstram diverterent. Tales enimverò vos quotidie probamus, tales miramur atque obstupescimus; cur eosdem in divino obsequio non liceat experiri? Fortes, indefessi in gravissimis bellorum casibus, cur in levissimis Sanctitatis exercendæ obstaculis mollescitis?

Quid hoc dicemus esse, Deus immortalis? An terrenis regibus, quàm tibi, præstaret famulari? tunc vel in redamando fidelis minùs, vel in munerando minùs liberalis ac magnificus existeres? ô cæcitas, ô pudor, ô stoliditas humanæ mentis, inquiebat olim vir sanctissimus! *Promittit mundus temporalia & parva, & servitur ei aviditate magnâ; promittit Deus magna & aterna, & torpescunt mortalia corda!* Vigilabit adolescens Christianus dies noctesque, parcè vivet, duriter se habebit, fame, siti conficiet se se, ut incertam, fragilem, perituramque brevè fortunam paret; ut stabiles, incorruptas, immortalesque divitias consequatur, inanes difficultatum umbras expavescet! Nihil tam arduum, tam laboriosum, quò non evolet, si fallacis gloriolæ spes affulserit; animi verò motus effrænes coërcere gravabitur, ut æternum gloriæ pondus acquirat! Gratiam Principis, commendationem nominis ac laudem mille periculorum casibus ultrò redimet; Dei ipsius favorem ac benevolentiam brevis alicujus molestiæ pretio non compensabit! Nolite igitur vestram in

con-

consectanda virtutis ac Sanctitatis semita socordiam
 futili infirmitatis nomine prætexere, quos in exan-
 landis operosis quibusque laboribus, quoties vel of-
 ficii, vel gloriæ, vel humani obsequii ratio postu-
 lat, tam fortes constat esse, tam invictos.

Nunc ad alium venio, quem obtendere Juvenes
 solent, Sanctitatis obicem. Nam quis nostrum, in-
 quiunt, abdita Religionis mysteria pervidere, quis in
 rerum cœlestium contemplatione versari hâc ætate
 nostrâ possit? Nondum desæcata fati ab infantia te-
 nebris ratio est; nondum iudicio maturitas, consilio
 prudentia, ingenio vis sua ac sagacitas accessit; qui-
 bus adolescentia præsiidiis destituta, nec penetrare
 rerum sacrarum caliginem, nec explicare nodos, nec
 ambages resolvere valeat. Adeone verum illud,
 quod obijcitis, Adolescentes? Tamen unde tanta
 se prodit in hac eadem ætate vestra ingenii subtili-
 tas ac perspicacia? unde illa, quam in ipsis pueris
 quotidie miramur, sublimioris cujusdam intelligen-
 tiæ vis? Nihil est in unaquaque disciplina tam re-
 conditum, tam abstrusum, quod mentis vestræ acies
 non penetret ac pervadat; nihil tam implexum at-
 que intricatum, quod non dissolvat statim atque ex-
 plicet; nihil tam sublime, tam elatum, quod non per-
 tingat. Sit aliquid modò, quod vestram diligen-
 tiam acuat, spes excitet, titillet ambitionem, vanita-
 ti blandiatur; molliuntur continuò studiorum aspe-
 ritates, resolvuntur tenebræ, difficultates evan-
 scunt. Nihil vos fugit, nihil prætervolat. Eloquen-
 tiæ vim artificiûmque persequitis; Poeticæ delicias,
 amœnitates, elegantiasque æmulamini; Philosopho-
 rum tricas argutiâsque solvitis; Verbo dicam, in re-
 bus quibusque difficillimis tam acutum ipsi sæpè,
 quàm Magistri vestri cernitis; cur in iis, quæ ad Re-
 ligionem, pietatem, Sanctitatémque pertinent, quas
 ad assequendas plùs una docilitas mentis, quâlibet
 ingenii facultate profit, imperitiam causamini?

Hæc

Hæc enim habet commoda scientia Salutis, Adolescentes, ut non tam ex labore nostro, quam ex Spiritus Sancti illustratione dependeat. Vidimus sæpè literarum rudes pueros ac puellas sub illius Magistri disciplina adedè profecisse, ut peritissimis etiam doctoribus invidiam facerent. Quæ ex illo nimirum fonte hauriuntur lumina uberioribus multò, mihi credite, melioribusque radiis mentem illustrant, quam quæ ex longo studio multoque librorum usu proveniunt. Ac licèt cœlestis illius doctrinæ lucem nemini volenti Deus non impertiat; tamen in erudiendis rudioribus ita se amat plerumque, ut, dum abstrusiora /mysteriorum suorum arcana prudentibus plùs æquò ac sapientibus abscondit, parvulis eadem, reductis, ut sic loquar, velis revelet penitus atque communicet.

Nihil ergo est, Adolescentes, in via Domini tam altum, tam sublime, quod faceßere negotium ætati vestræ possit, si modò benè affectâ voluntate ad capeßendam cœlestem doctrinam accesseritis. Quòd si arcanos informantis vos ad supernam sapientiam Dei motus pernoscere, videretur vobis aliquando nimis operosum; neque tum carebitis iis, qui se Dei interpretes ac vicarios exhibeant, vestramque in divinis rebus novitatem adjuvent.

At enim non fert vestra hæc ætas egregia illa virtutum exempla, quæ passim à viris Sanctitate conspicuis edita legimus. Neque etiam existimate, Adolescentes, vel novis ejusmodi insolitisque facinoribus rationem sanctitatis totam contineri; vel neminem Sanctorum extitisse, quin, tritam cæterorum hominum vestigiis viam prætergressus, inusitatum quemdam vivendi morem tenuerit. Suis est vita communis & in medio posita ad eminentissimam Sanctitatem instructa præfidiis, neque minùs obivium est quotidianis vitæ, quam ducitis, exercitatio-
nibus

nibus, quàm ipsis Apostolici muneris laboribus summum virtutis fastigium adipisci.

Deus ille, quem nos colimus, rerum omnium dominus atque arbiter, & obsequii nostri minimè indigens hoc satis contentus est, si nos ardentissimo suæ charitatis igne succensos, & perpetuo sibi placendi desiderio inflammatos habeat. Quid igitur prohibet, quò minùs hoc incitati studio ad peragenda ea, quæ sunt officii vestri, singulis in rebus accedatis? In tenui quidem labor, at nec tenuis tamen fructus, nec leve Sanctitatis incrementum. Ad Studium eundum est? Hoc animo studete, non ut primas inter socios feratis eruditionis atque doctrinæ partes; verùm ut divinæ voluntati diligentiam à vobis inter studendum exigenti morem geratis. Præstanda in Scholis attentio, exhibendâ modestia est? hoc facite, non demerendi vobis eos, quorum sub disciplina adolescentis, sed captandæ ipsius Dei benevolentiae gratiâ, quem actionum vestrarum speculatorem perpetuum ac munificum largitorem agnoscitis. Ad sistendum rebus divinis, solitis pietatis officiis vacandum est; Illuc pèrgite, non quia mos est ille consuetudòque collegii, sed quia vel offert se fruendum per orationem Deus, vel per Sacramentorum communionem possidendum.

Hæc instituti ratio sanctissimos illos Juvenes, Bercios, Rufinos, Ubaldinos, quorum vitas habetis in manibus, ad summum Sanctitatis apicem ac gloriæ fastigium extulit. Ferventissimis illi divini amoris incensâ ardoribus nihil vel cogitabant, vel loquebantur, vel agebant, quod summæ Dei gloriæ desiderium non inspirâsset. Hæc erat veluti formula, cujus ex præscripto vitam morésque componebant; hæc regula, cujus ad amissim singulos animi corporisque motus dirigebant; hic scopus; in quem perpetuò collimabant, hic finis, hic terminus, quem respiciebant, quò ferebantur, quò contendebant. Hæc ipsos

ipfos divinæ gloriæ æmulatio sollicitabat domi, comitabatur foris, stimulabat in templo, inter studendum acuebat, & in ipsis animi oblectamentis suavissimâ quâdam voluptate perfundebat. Noverunt illi quidem, quàm leve, quàm exile, quàm nullius momenti esset, quod agebant; & tenuitatis suæ conscii se se in conspectu divinæ majestatis, ut par est, deprimebant. Tamen quod erat illud cùmque, tam sedulò faciebant; ut, si majora quædam ac difficiliora in Dei laudem atque obsequium præstandi occasio incidisset, id se eadem animi alacritate suscepturos fuisse satis ostenderent. Iterum atque iterum à vobis peto, Adolescentes, quid in morâ est, ne virtutis isthæc exempla vobis imitanda proponatis? quid prohibet, quominùs tenuia illa quidem atque obvia, sed egregiè ad Sanctitatem assequendam comparata vitæ communis officia, certo, quod fecerunt illi, lucro apponatis?

Sed quid ego hic elevare ac deprimere video ea, quæ in usu etiam quotidiano exercentur à vobis, quasi vel levioris apud Deum momenti forent, vel præstantior quædam esset Sanctitatis obtinendæ via. Dicamus, quod res est; nihil pænè video, quod esse Deo possit acceptius, quàm quod singulis propè diebus facitis; si modò eo, quo par est studio atque affectu præstetur. Liceat enim verò ponere vobis ante oculos, quàm laudandis, quàm sanctis vita hæc vestra institutis traducatur. Agite; ubi tandem gentium in tam lætâ, tamque numerosâ Juventute & moderatior vivendi forma, & disciplina constantior? ubi in florentissima nobilitate aut docilitas major, aut illustrior modestia, aut suavitas morum amabilior? Quo demum in Lycæo uberius florent Literarum studia, & optima custos innocentie diligentia fervet acriùs? Jam verò quæ pars Christianæ pietatis vos præterit? quàm frequens apud vos Sacramentorum, Orationis, divini verbi pi-
rùmque

rúmque librorum usus? Nec in ipsis virtutibus sublimioribus quidquam est tam altum, tam difficile, tam perfectum, in quo plerique vestrum rudes atque imperiti videri possint. Sunt qui jacere pauperum ad pedes, sordes abluere, ministrare mensis, & vilissima quæque charitatis atque demissionis Christianæ obire ministeria non erubescant. Sunt qui defraudantes genium scholasticos inopes suis impensis alant, & in studiis sustentent. Sunt qui detentos in carcere amicè visitent ac consolentur. Sunt qui subtractam ludo oblectamentisque pecuniam ad eorum casas, quos egestas dura & verecundus pudor enecat, eò lubentiùs deferant, quòd miserorum vitæ consulunt & pudori. Alios videas, ubi sacra Dominici corporis Hostia adoranda proponitur, in perpetuis quasi excubiis sibi invicem succedere; alios solidas identidem hebdomadas in contemplandis rebus divinis conterere; alios abjectis, quas mundus offerebat, splendidioris ac mollioris vitæ illecebris, totos se divino obsequio mancipare. His atque aliis, quæ mirari satis non possumus, quid est vel ad promerendam divinam benevolentiam potentius, vel ad capeffendam Sanctitatem efficacius?

Quanquam video, quid in mora sit, & pleròsque vestrum ab insistendâ virtutis etiam severioris semitâ deterreat, aut deterrere aliquando possit. Nemo ferè est è vobis, quem insitus quidam boni rectique amor, liberalis educatio, ipsa virtutis amabilitas & incitatiores aspirantis gratiæ stimuli ad saniora non flecterent, nisi malus pudor & humanarum rationum momenta conceptam bonæ sementis vim omnem partim in ipso ortu suffocarent, partim enatam feliciter & jam luxuriantem corrumpere. Optandum quidem illud foret, ut conspirantibus omnes animis virtutem colerent, aut certè in aliis triumphantem mirarentur! Verùm super-
vacanea

vacanea illa vota sunt. Est hæc virtutis indoles, miserabile fatum melius dixerim, ut nequiorum hominum jocus ac cavillationibus obnoxia semper extiterit. Atque genus est illud oppugnationis, adversus quam Spiritus sanctus præmonendum diligenter putavit unumquemque vestrum, dum sacris in Litteris admonet; *Eccli. 2. Fili accedens ad servitutem Dei... prepara animam tuam ad tentationem.* Frustra sis igitur, quisquis futurum confidis, ut virtutis viam ingressus adversarium neminem experire.

Tamen hæccine Christianum Adolescentem ab obsequio divino revocent, & currentem ultrò per sanctitatis semitas remorentur? At durum est, perulantis Juventutis impeus ac ludibria sustinere: durum est hujusmodi hominum proscindi sibilis, explodi conviciis, & amarissimis confici salibus: durum est perpetuum stare contra improbitatem innocentiae patronum, Dei pugilem, censorem vitiorum & quotidianum libidinis objurgatorem! Durum est, inquis, Adolescens Christiane? Ecquis erit ergo Christianæ fortitudini locus, nisi quid molestum identidem, atque asperum inter militandum Deo occurrerit? Quibus argumentis cupidum te & amantem Dei evinces, si nihil unquam ipsius causâ viriliter sustuleris? Quo demum pacto futurum speras, ut te Christus olim agnoscat suum, huic si cultum & obsequium exhibere nunc erubueris? Quid hoc dicemus esse, aut quo nomine genus illud contumeliæ, quam inferimus Deo, designabimus? Agitur causa Principis, amicus vocatur in discrimen, vir probus malevolis hominum linguis proscinditur; turpe ducimus silere in his rerum adjunctis, facinus indignum exclamamus, quantum in nobis est, ulciscimur. Deus peccatorum flagitiis quotidie laceffitur, irridetur, contumeliâ afficitur, nobis ipsis irritandus, provocandus proponitur:

B

Inte-

Interim segnes, ignavi, residues conticescimus, & quod pejus ac detestabilius est, malo pudore victi Deum abnegamus turpiter & ejuramus!

An ergo pudere quemquam debeat, ô Deus, debitæ tibi servitutis? & quibus nihil honorificum magis esse possit, quàm tibi præstare obsequium, an deceat in eodem deferendo meticulosos videri? Nemo est hominum, quantum est, qui vivunt, quem conditionis illius, quam semel amplexus sit, aut pudeat, aut, quæ ad illam pertineant, pigeat exercere. Christiani sumus, Christum lustralibus Baptismi fontibus abluti induimus, Christiano nomine gloriamur; & tamen, cùm videri tales oportet, quales sumus, cùm tueri Christi jura, cùm re factisque spectatam fidem facere necesse est; tunc Christianos esse nos obliviscimur, aut etiam erubescimus! Et hoc Christus patiens ferat? non aliud exigat à nobis obsequii & amoris monimentum? vestrum ipsorum judicium, vestra existimatio sit. Si quem, Adolescens Christiane, nactus esses ejusmodi, qui præsentem quidem blandiretur, fausta precaretur omnia, totùmque se ad quosvis periculorum casus devoveret. At roderet absentem interea, maledictis oneraret, proderet, execraretur; eùmne tu amicum, an non perfidum potius ac proditorem æstimabis? Te verò qualem arbitrer, qui piorum quidem in consortio positus cultorem te veri Numinis, pietatis amantem, Religionis defensorem ultrò profiteris; deprehensus autem inter impiorum improborùmque quisquillas eandem tueri personam non sustines? Tu pius, tu religiosus audias; dum pietatem ac Religionem haberi impunè ludibrio patieris? dum nebulonum jocis ac cavillationibus applaudes? dum terriculis inanibus ab accessu Sacramentorum abstinere? dum ipsum verecundi piique adolescentis nomen perhorresces? denique dum inter dissolutos non dissolutum, inter impios non im-

impium, inter flagitiosos non flagitiosum, inter impudentes impudentem non esse subpudebit? Erras, erras, mihi crede; larvatos ejusmodi ac personatos cultores Christus abjicit. *Qui me erubuerit & meus sermones, inquit ipse, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in Majestate sua.* Luc. 9.


Restat hæc una propulsanda excusatio, quæ à juventutis levitate atque inconstantia proficiscitur. Est enim, inquit, ætatis illius indoles, ut, cum amatum quidlibet relinquere pernix sit quàm maxime, tantò faciliùs à rigidiore virtutis cultu deficiat, quantò majus ejusdem olim profitendæ desiderium exhibuerit. Quid ergo adolescentem juvet ita materare se studio exercendæ virtutis, cuius pœnitere ipsum non ita multò pòst futurum sit? Quæ tandem vox illa est? quàm à divinis humanisque testimoniis aliena! Nam quid in sacris literis aut in communi hominum sermone plenius confirmatum ac consignatum; quàm eam esse hominis conditionem, ut ab ea, quam juvenis ingressus sit vitæ semitâ, etiam in senectute non defleat? bonum esse illi si ab adolescentiâ jugum Domini portaverit; magnum haberi quiddam vel à teneris virtuti assuescere; Adolescentum mores testæ cujusdam instar videri posse, quæ liquoris illius, quo semel imbuta recens fuerit, odorem diu retineat; ceream quidem & in vitium flecti facilè ætatem illam esse, at docilem tamen tenacemque recti; quod recentibus adhuc animis commissum sit, haud dubitandos suis temporibus fructus afferre?

Sed esto: sit illa miseræ juventutis infirmitas, ut in suscepta virtutis exercitatione stare diu non soleat; non habeat illa satis roboris, ut contra vitiorum illecebras, perniciosam exempli vim, ætèrnam prævæ consuetudinis rettare possit; pœniteat illam brevi disciplinæ severioris, & liberioris vitæ licentiam tantò impensius confectetur, quantò alienum

magis ab ea instituti morem coluerat. Tamen remitteret annis procedentibus ille fervor ætatis; languescet paulatim impetus animi consecrantis prava, & quæ juvenum mentes fascinant, suis etiam voluptatum lenociniis fastidium adhærescet. Tunc si fuerit olim adolescentia liberaliter educata, si bonis erudita moribus, si piis, sanctisque traducta institutis; tunc, inquam, velut bona fementis, quam exortæ infelices herbæ suffocârunt, arescentibus illis postmodum, aut diligenti manu radicitus avulsis, pullulat denudè atque efflorescit, aut sicut ignis cineri doloso aliquantis per suppositus succenditur facilè atque inflammatur; sic pietatis ardor, qui nascentibus ac profundentibus se se cupiditatibus deferbuerat: integritatis studium, quod elanguerat, virtutis exercitatio, quæ exoleverat, exactio demum juventutis tempore, effervesceat, suscitatur, invalescit.

Atque hæc sunt, quæ peractam in pietatis studio virtutumque exercitatione adolescentiam præsidia consequuntur; quibus reliquâ deinceps vitâ carere eos necesse est, qui ipsa ætatis teneræ primordia meris, ne quid pejus dicam, nugis contriverunt. Abstineo pluribus, Adolescentes; & quoniam tam multis æqualium vestrorum exemplis, & ipsâ præjudiciorum, quæ circumferri solent adversus Sanctitatem, confutatione liquet, nihil esse, quod ab ingredienda Sanctitatis semitâ retardare vos debeat; facite, ut Dominico præcepto magnâ alacritate deinceps obsecuti, tandem aliquando sancti sitis.





IN EODEM FESTO.

ORATIO II.

Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum. Cor. 1. Cap. 2.

HOc unum est, quod de cœlesti gloria prædicat Paulus, quem gratiâ singulari Deus vivum adhuc, spirantemque anticipato deliciarum æternarum gustu recreaverat; qui raptus usque ad tertium cœlum, ut profiteretur ipse de se, quidquid illic suavitatis est, delibaverat; cui arcana verba, quæ homini loqui non licet, audire datum erat: hoc unum est, inquam, quod de civitate illâ sanctâ, quam incolunt felices animæ, referendum habet. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

Tamen hoc ipsum cumque quàm magnum est, Adolescentes Christiani! quantum id oportet esse, quod neque usurpari oculis, neque auribus percipi, neque mente ipsâ intelligi, cognoscique possit!

Oculus non vidit? Quid est in hac rerum universitate pulchrum, quid admirabile, quid magnificentum, quod oculus non viderit? Quidquid natura profundit, quidquid extundit industria, oculos admirabili quadam varietate pascit. Quem non delectet florum amœnitas, lux gemmarum, syderum splendor, regię ædificiorum substructiones, aurea

laquearia , miracula picturæ , cælaturæ prodigia ,
solemnes ludorum spectaculorumque apparatus ?
Hæc omnia oculus vidit , cælestem gloriam *oculus*
non vidit ; pulchrius est quiddam & magnificentius ,
quàm quod acies humana ; quantumvis acris ac per-
spicax , valeat intueri.

Nec auris audivit ! quidquid omnibus retro sæ-
culis egregium fuit ac splendidum ; quidquid us-
quam terrarum est , vel diffusum locorum spatiis ,
vel temporum intervallis remotum , atque disjun-
ctum , præsens auribus sistitur . Quàm porro liquida
voluptas , quàm suavis sensus solet existere ex re-
rum gestarum narrationibus , ex Oratorum facun-
diâ , ex Poëtarum illecebris , ex avium , ex fidici-
num , ex symphonicorum omnium concentibus !
Tamen aures , quæ voluptatem hanc percipiunt ,
atque intimis animis propinquant , capere cælestes
delicias non possunt ; *nec auris audivit* ; aliquid est
in iis omni voce jucundius , omni concentu sua-
vius .

Nec in cor hominis ascendit ! nihil est , quod hu-
mana mens cogitando , optandoque non superet ,
unâ cælesti gloriâ superatur . Maxima quæque fa-
bricantur hominum animi , nulli sunt eorum moliti-
onibus positi fines , nulli præscripti termini . Nu-
merum frange quemlibet magnum & ingentem , il-
lum cogitatione unâ superabo ; frange divitias , qui-
bus pares nullâ fuerint , argenti pondera infinita ,
auri gemmarumque montes immensos ; ubi pen-
dendo , numerando , metiendo sudaveris , quid-
quid sit illud , cogitatione vincam . At cælestem
gloriam adeò vincere cogitationibus suis humana
mens non potest , ut ne assequatur quidem ; *nec in*
cor hominis ascendit .

Nihil ego jam mirer , Adolescentes Christia-
ni , si infinitus ille beatarum mentium numerus , qui
ex universis populis , gentibus , ac linguis , ut sacer
Scriptor

Scriptor loquitur, collectus nostris omnium oculis hodie subjicitur, ita caperentur potentibus cœlestis gloriæ illecebris, ut spretis facillè, quæcumque cæteri hominum tantopere ambiunt, bonis terrestribus, in uno boni illius pretio atque amore conquiescerent; si ejusdem adipiscendi gratiâ, nihil ducerent arduum aut difficile: & gravissimos quosque labores ac cruciatus ultro subire atque perpeti non vererentur. Nos verò, quibus immensa felicitatis æternæ magnitudo ex altissimo Omnipotentis DEI domicilio ostentatur; quos ejusdem aliquando potiundæ certa spes respicit; cur illam tam vili reputamus loco? cur in eâ comparandâ levissimis difficultatibus deterremur? Discamus Sanctorum exemplo, id æstimare unum, quod unum illi rependendum in pretio; id persequi unum, quod unum illi laboribus suis dignum censuere. Docent enim verò nos Sancti, quanti facere cœlestem gloriam debeamus; hoc priori quidem orationis parte, demonstrabimus. Quid ad cœlestem gloriam promerendam factu sit opus, Sancti se duces ac principes exhibent, hoc posteriori parte conficiemus.

I. P A R S.

ATenim quanta se mihi statim objicit nubes testium, qui ad æstimandam, ut par est, cœlestem gloriam, & ad spernenda, quæcumque reputamus bona, nobis exemplo præiere. Hac incensus fide credentium pater Abraham natale solum & totam cognationis seriem deseruit, ut in regionem longinquam, & ignotas sibi terras penetraret; audierat ille nimirum injectam hanc cœlitus patriæ melioris promissionem; *Et merces tua magna nimis.* Gen. 15. Noverat & ipse destinatæ nobis in cœlo mercedis pretium sapientissimus Israëlitiçi populi ductor Moses, qui teste Apostolo maturiorem ætatem cum atugisset, potuissetque, si voluisset,

Pharaoni Regi legitimus hæres designari, mollioris aulae delicias, regiam supellectilem, ipsum Ægypti totius imperium tristibus ærumnis ac laboribus, quibus suus in Ægypto populus vexabatur, constanter posthabuit: quippe subjicit Paulus, *aspicebat in remunerationem*. Heb. 11. Quâ animatus fiducia B. Job, vir ille, cujus in sacris litteris habetur celebratum ipso Dei omnipotentis ore præconium, quâ animatus, inquam, fiducia, bonorum jacturam, everisionem domûs, liberorum excidia, opprobria propinquorum, domesticorum cavillationes, maledicta conjugis, omnium denique calamitatum ac malorum cumulum tam fortiter perpeffus est? Audiamus illum medio è sterquilinio, suo illo in fimo; ubi destitutus ab amicis, irrisus à suis, rerum omnium laborans inopiâ, vix habebat miserastestarum reliquias, quibus fluentem è vulneribus saniem raderet; audiamus, inquam, illum erumpentem in istas voces. *Rursus circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum Salvatorem meum. . . . hac spes reposita est in sinu meo.* Job 19.

Placet è miseris pauperis tugurioli angustiis in superba potentis aulae penetralia subire? Ecce inter exquisitissimas fortunæ lætioris illecebras, in summâ divitiarum, honorum ac voluptatum abundantiam regius Vates exclamat; *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Psal. 16. Atqui novæ rebus cæteris abundè satiatus es, ô David? parùmne igitur videtur tibi, quòd ab ovium gregibus, regalem in aulam vocatus es? quòd Gigantis victor, quòd totius populi plausibus exceptus, quòd in Regem super universum Israël imperium consecratus es? Quid desideras amplius? quid petis? quid ad plenam perfectamque satietatem deest? cœlestis gloria, inquit; quam dum recogito, cætera, quæcunque contuleris bona, vilescunt animo, & fastidio sunt. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Quòd si sub istis

rudioribus veteris Testamenti elementis, in tantâ temporum caligine, quam nondum venientis ab alto Numinis divina lux decusserat, inventi sunt cum eximii æstimatores bonorum cœlestium, tum conspicui rerum terrenarum contemptores; quanto minùs debet mirum videri, melioribus novæ legis auspiciis, institutos fuisse ad saniora mortalium animos; postquam delapsus in terras Christus Dominus puriores doctrinæ suæ fontes aperuit, & exemplo pariter ac verbo rerum humanarum despicientiam & cœlestium amorem inspiravit?

Agite enim; quàm multos habuit audientes dicto & strenuos novæ disciplinæ æmulatores divinus ille Magister? Quid dicam duodecim illos viros, quos erudierat ipse tam sedulò, & documentorum suorum præcones universo orbi informârat? quo illi vultu despicerere soliti, quæ vulgò perstringunt oculos? quàm verè ac sincerè dimiserunt, quod habebant cumque, & habendi deinceps quidpiam affectum exuerunt? Quid memorem illa nascentis Ecclesiæ lumina, generosos illos Christiani nominis cultores ac defensores, qui projectis Apostolorum ad pedes perituris opibus ac fortunis, uno immortalis thesauri desiderio succendebantur? Quid appellem ejusdem consilii socios omnes Religiosorum Ordinum Fundatores, qui tritam Apostolorum vestigiis viam ingressi, abstractos à terrenis cupiditatibus discipulorum suorum animos ad amorem cœlestis gloriæ traduxerunt?

Omitto tot eorum imitatores atque asseclas, qui voluntariâ divitiarum suarum abdicatione æternæ felicitatis præmia mercanda censuerunt. Circumstuebant alii rerum multarum copiâ, copiam illam extremæ paupertatis angustiis posteriorem duxerunt. Fulgebant alii natalium splendore, splendorem illum horrentibus solitudinum ac speluncarum tenebris obscurârunt. Nitebant alii purâ,

purâ, purpuram humili pannosóque vëstitû muta-
verunt. Imperitabant alii populis, regendos se
aliorum arbitrio ac torquendos subdiderunt. Flô-
rebant alii laude pulchritudinis, pulchritudinis
gratiam fame, siti, frigore, patientiâ deformave-
runt. Hæc autem omnia quâ spe, quo consilio sus-
cepta sunt? Numquis est eorum, qui cum Aposto-
lo non exclamet: *Hæc omnia detrimentum feci, &
arbitror ut stercore, ut Christum lucrifaciam?* Phil. 3.

Vos verò, Adolescentes, quo putatis ponendam in
loco cælestem gloriam, quæ tanti Sanctis omnibus
visâ est, ut cæteris omnibus ultrò carerent, ne sibi res
tam pretiosa deperiret? Eósne errore lapsos turpiter
ac delusos censebitis in æstimandâ cælesti beatitudi-
ne, qui tam periti rerum cæterarum, dum viverent,
æstimatores audierunt, tot viros eruditione præstan-
tes, morum integritate conspicuos, rerum gesta-
rum famâ per celebres, erit hîc quispiam è vobis,
qui stultitiæ vel imprudentiæ audeat accusare? Quòd
si sapienter illi, si consultè omnes fecère; qui,
quantùm suppetebat ipsis, aut divitiarum ad abun-
dantiam, aut deliciarum ad voluptates, aut digni-
tatum ad magnificentiam, totum illud in spem æter-
næ felicitatis impenderunt; qualem ego te æsti-
mem, Adolescens Christiane, quisquis es, si inani
fucatæ Beatitudinis larvâ deceptus, fufiles fallacés-
que delicias confectère, veras interim sincerás-
que voluptates contempnas? Quàm bellè te & simi-
les tui, quotquot sunt, Regius Vates sic increpat;
*Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligi-
tis vanitatem, & quaritis mendacium?* Filii homi-
num, quòd ruitis? quòd vos malus error præcipitat?
quòd pertinent tandem tot vigiles curæ, tot anxie
solicitudines, tot contentiones laboriosæ? quòd per-
gitis? quòd contenditis? cuius rei gratiâ militatis?
Beatitudinem quæritis, video; felices, fortunati-
que vultis esse, quidni autem? & illuc pariter om-
nes

nes ferimur, ad hoc nascimur, spiramus, vivimus, ut felicitate tandem aliquando potiamur. At quid beatitudinem quaritis, ubi non est; quid illam non scrutamini, ubi est? insipientes vos, dementes, insanos, qui vilibus, crassisque bonis felicitatem putetis alligatam! Majores profectò sumus, & ad majora geniti; quàm ut fragilibus ac caducis ejusmodi rebus animus acquiescat. Indignum nobis est, quidquid cœlesti gloriâ minus est. Videte, amabo, quid vobis culpâ vestrâ depereat; attendite, quàm iniquam, quàm inconsultam rerum commutationem faciatis. Hic nulla est suavitas tanta, quæ non infuso aliquo felle temperetur; ast integra olim in cœlo, liquida, desæcata gaudia inundabunt. Hic nihil est tam jucundum, quod usu ipso flaccescere ac marcescere non incipiat: illic satietas erit sine nausea, diurnitas sine fastidio; tot bona, tam ampla, tam diuturna omni æternitatis momento recentia videbuntur. Erigite igitur animos vestros, Atolescentes; laxate frena cupiditati: optate, appetite, concupiscite Sanctorum exemplo bona illa, de quibus, ut jam monui, Apostolus profitetur. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* 1. Cor. 2.

II. P A R S.

Hanc verò tam nobilem gloriæ cœlestis ideam, quoniam sanctissimi, quotquot existere, viri desixam animis altius habuere; nolite mirari, si ejusdem gloriæ consequendæ gratiâ, quod alterum demonstrandum proposui, tam fortiter aggredi multa, tam constanter perpeti multò plura non dubitarunt. Nam si videmus quotidie, alios, ut avaritiæ studeant, divitiâsque & opes accumulent, habere se se duriter, perpetuis animum corpûsque macerare laboribus, trajicere maria frigoris ætûsque

que patientes : alios ut honorum, quibus inhiant, expleant famem, vel servire Principum in aula, vel ingenuæ conditionis oblitos adulari turpiter hominibus novis quos oderunt, vel abjectis mollioris vitæ deliciis, quas degustare ad satietatem, & velent, & possent, fortunarum capitisque subire aleam ; alios, ut turpissimas sequantur voluptates, nec pudoris ac famæ jacturam vereri, nec libidinis atque intemperantiæ assiduos comites morborum aculeos formidare ; nec anticipatam annis plurimis senectutem, & succisam in ipso ætatis flore vitam perhorrescere : hæc inquam, omnia si quotidie experimur ab avaris, ab ambitiosis, ab amatoribus voluptatum factitari ; huc si opum cupido, studium gloriæ futilis, libidinis atque intemperantiæ rabies homines adigit ; cum tamen noverint intelligantque penitus, nihil esse non caducum, nihil non fragile, nihil non perituum in iis, quæ concupiscunt, aut operosius affectantur, bonis ; quanto æquius fuit, quidquid usquam aut laborum est, aut periculorum, aut acerbissimum, tentatum esse à Sanctis, ut ad vera, solida ac perpetuò commansura bona pervenirent. *Et illi quidem, inquit Paulus, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem ut incorruptam.* 1. Cor. 9.

Veniant enim verò, veniant mundi, carnis rerumque terrenarum sectatores ; seque in exantlandis laboribus, in aggrendendis periculis, in perferendis pro consequendâ cœlesti gloria acerbissimis doloribus videant superatos fuisse à Sanctis, & intabescant.

Verùm quàm acerba offerunt se mihi spectacula, quàm horribilis undique carnificina exhibetur ! per quot, quàmque per varios periculorum casus felicitatis æternæ cupido cujuscumque sexûs, ætatis, ac conditionis homines impulit ! Alios video palis affixos, fustibus flagellisque cæcos, laceratos

ratos unguis, liquato in plumbo atque æstuante oleo demersos: alios intueor rotis distractos, ignitis laminis exustos, ardentibus in traticulis versatos; effossis oculis, avulsâ linguâ, resectis articulis omnibus in crucem tandem actos; alios aspicio pice oblitos atque sebo, accensos facum instar ad nocturna spectacula; alios lapidibus obrutos, alios enectos fame siti que, ferris dissectos, confixos claviculis, depexos ferreis pectinibus, membratim concisos, ferri flammarumque vim omnem expertos; tanti est cœlestis gloria, quam hoc pretio lubentes, volentes, triumphantésque mercantur!

Jam à cruentis Martyrum spectaculis, ab illa suppliciorum atrocitate ad alios Sanctorum labores intuendos, quibus illi se, quoniam tortor ac tyrannus deerat, sponte ultróque macerârunt, veniamus. Circumspicite tam multas religiosorum hominum familias, tot illustrium Confessorum agmina, tam conspicuos sanctarum Virginum ac Puellarum choros. Cogitate eorum omnium desertam solitudinem, jure silentium, preces assiduas, durissimam paupertatem, severam sensuum omnium arctissimamque custodiam, labores continuos, vigiliis, jejunia, susceptas ultró castigationes corporis, & absolutam rerum omnium, quæ hominum naturam aut delectare aut juvare possunt, spoliationem. Penetrate recessus intimos solorum nemorum, deserta illa squalentia Thebaïdos, illas speluncas belluis unis, unis scorpionibus notas. Quid illi tot laboribus, tam pertinaci rerum omnium abdicatione homines mendo mortui negotiantur? cœlum emunt. Dura quidem est crux illa per se se; ast ubi fructum ejus pretiumque cogitant, levissimum illius videtur pondus, suavissimi labores, honorificæ & illustres ignominia! Jucundum illis fuit cœlestem patriam mercari tanto scœnore, jucundius est autem in
præ.

præsentiam exantlatos olim labores, ærumnas, contumelias meminisse, quæ tantis tamque illustribus præmiis compensantur. Osculantur omnes & trophæi loco ostentant crucem suam, cujus breves molestias æternis excipi deliciis intuentur.

Et vos, Adolescentes, vos pigebit modicam vobis vim facere? digna vobis æterna felicitas non videbitur, cui comparandæ laboris nonnihil adhibeatis? aut putabitis eandem cessantibus vobis, ac futiles usque delicias venantibus olim impertientiam? Age, responde mihi, Adolescens Christiane, si quis es in re salutis remissus ac languidus; vel spem cælestis gloriæ omnem expectationemque abiecisti, vel ad eam utique aliquando possidendam contendis? si primum, miserum te, cujus pars cum reprobis inter perennes rogos futura sit; neque enim medium est inter utrumque, vel gaudere te oportet cum Sanctis, vel cum malis Dæmonibus in perpetuum cruciari. Sin magis ad beatam immortalitatem aspiras, quod alterum lubentius crediderim: peto à te, quem laborem suscepisti, ut cælesti gloriâ aliquando si nerere? Merces est enim cælestis gloria, æqua laboris compensatio: labor itaque mercedi prævius, & æquus quodammodo mercedi labor exigitur. Quem tu, inquam, laborem suscepisti, quæ cælesti gloriæ respondeat? Scio mercedem infinitam apparari tibi; nihil à te nisi finitum proficisci aut expectari posse. Sed quid saltem à te profectum ejusmodi, cujusmodi facere tandem potes? non infinitum à te laborem peto, sed laborem quoquo modo, qui felicitatem æternam sibi vindicet. profer ergo nobis quidpiam: loquere, quid fecisti? Si te mori hæc nocte contingeret, quo jure possis cælestem gloriam tibi mercedis loco postulare? quæ tu Christo merita offeras? Mercedem petis? ubi labor? ubi opera? coronam petis? ubi prælium? ubi victoria? Cælum petis? ubi pretium: quanti

quanti emis? Stephanum vides: emit lapidatione corporis & acerbissimo laniatu. Laurentium vides: emit lentis ignibus & ustulatione membrorum. Augustinum vides? emit lacrymis & diuturno scelerum dolore. Franciscum vides? emit abiectione rerum omnium & humillimâ paupertate. Brunonem vides? emit orationibus & jejuniis. Tot Virgines, tot tui similes Adolescentulos vides? emergunt mundissimi corporis integritate, morum innocentiam, quam acri sensuum omnium custodiâ munierunt. His cælum emittur; quid æquale, quid simile, quid aliquatenus affine nobis offers?

Si jam ego discurrerem per omnes Scholæ hujus ordines, & unumquemque vestrum percunctarer tacitus, vitia singulorum enumerans, quæ spem impertiendæ olim cælestis gloriæ aut remorari possunt, aut etiam excindere penitus; quotus quisque vestrum esset, qui profiteri posset ex animo, se aliquam in iis vel extirpandis, vel coercendis operam hætenus posuisse?

Tu, quem morosa, difficilis ac tetrica præter modum indoles molestum sociis, domesticis incommodum, asperum monitoribus, parentibus contumacem ac refractariolum singulos in dies magis ac magis exhibet: ane aliquam identidem adhibuisti vim, ut asperitatem illam mitigares? ut mollioribus verbis uterere? ut docilem te bene monentibus, & ad saniora te flectentibus mansuetum præstares? Tu, quem ludi insanus furor totos per dies, etiam cum neque licitum est, neque vacat, miserum obsidet ac deperdit; qui insanabile illud cacoëthes, dum studes, dum precaris, dum sacris Mysterijs interes, tecum portas; an ut effrenem illum impetum coerceres, interdicens tibi nonnunquam ludendi potestatem ulro volensque æstimasti? Tu, qui literarum pertæsus turpi jam dudum langues in otio; hinc, si nescis, tot cogi-

cogitationes malæ, tot incitationes ad voluptatem, tot graves ac periculosa tentationes, tot inflicta integritati tuæ atque innocentia vulnera, tanquam teterrimi rivuli ex corruptissimo fonte promanarunt; tamen quid fecisti, ut veterum excuteres? ut intermissum studii ardorem resumeres? ut patientem morum corruptelæ aditum occluderes? Tu, quem consuetudo prava suis constrictum laqueis tenet fortè jam pridem, non ignoras, quàm gravem in te ipso salutis obicem, quantum ad beatam immortalitatem consequendam impedimentum feras? Intelligis dictam hanc legem esse, nequid inquinatum sordibus iniret in regnum cælorum. Tamen quid contulisti de tuo, ut habitus illius mali vitium corrigeres? An interdixisti sedulo curiosis oculis, quæcumque pudicitiam lædere quoquo modo possent? an abjecisti immisericorditer & ultricibus damnasti flammis perniciofa illa volumina, è quibus pestiferum altiùs venenum hausisti? an temperasti liberioribus colloquijs, quæ malum invexerunt fortasse, idèmq; etiamnum fovent & alunt? an abruptisti fatalia necessitudinis illius vincula, quæ mortem animæ, pudori labem, cælesti gloriæ tam gravem moram importat?

Hæc & alia ejusmodi, quæ petuntur à vobis, quantum sunt, si cum æternæ mercedis magnitudine comparentur? *momentaneum & leve tribulationis nostræ, æternum gloria pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. Tamen quis credat? hæc rejiciuntur à plerisque, tanquam onus non ferendum suisque impar viribus! quid si ergo majora pro jure suo ac difficiliora Deus exigeret? quid si labores continuos, acerbissimos cruciatus, ipsam per mille vulnera vitæ jacturam gloriæ cælestis in pretium repeteret? Tantum stetit nimirum Christianis heroibus, illam ut adipiscerentur: nos qui ad eandem, quâ potiuntur illi, felicitatem aspiramus, levissimas difficultates perhor-

horrescimus ! Pudeat certè nosmetipsos ignavia
 nostræ , Adolescentes ; caveamusque diligenter ,
 ne , cùm gloriosissimum fuerit viris sanctissimis vitæ
 immortalis delicias tam vario pœnarum mortisque
 genere redemisse ; nobis turpissimum sit , eandem
 illam gloriam tam vili promerendam pretio despe-
 xisse . Quamobrem , ut unde cœpit Oratio , eò-
 dem referatur ; oro vos , Adolescentes , atque ob-
 testor per JESU Christi sanguinem , cujus cœlestis
 gloria pretium est , per Sanctorum exempla , per
 salutem vestram , quâ nihil vobis debet esse anti-
 quius , aspirate totis animis , & contendite fortiter
 ad illa bona , de quibus hoc polliceri nobis possu-
 mus , quoniam *Oculus non vidit , nec auris audivit ,*
nec in cor hominis ascendit , quæ præparavit Deus ijs , qui
diligunt illum .



IN FESTO NATALIS DOMINI.

ORATIO III.

*Sic Deus dilexit mundum , ut Filium suum
 unigenitum daret . Joan . cap . 3 .*

Stupendum enimverò divini in homines amoris
 prodigium hodierna solennitas exhibet , Ado-
 lescentes Christiani ! Ecce Deus Optimus , Maximus
 tristissimam humani generis sortem commiserans ,
 Filium suum Unigenitum mittit in terras , & arden-
 dentissima suspirantis jam diu , & in tantî boni ex-
 pectatione gestientis univèrsi orbis vota cumulat !

C

Ecce

Ecce Filius ipse dilectissimus, qui non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo. Philip. 2. Paternæ voluntati obsecutus ad nos ultro delabitur, non debitis regię majestati insignibus præfulgens, sed mortali infirmitate circumseptus; atque, ut Apostoli verbis utar, *in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Ibid.

Hactenus equidem noveram, ô Deus, incredibilem potentiam tuam, cum varietatem illam ac pulchritudinem rerum, quæ cœli terræque ambitu continentur, uno voluntatis nutu conderes. Intellexeram infinitam sapientiam, cum orbem universum tam mirabili tempestatum vicissitudine regeres ac temperares. Didiceram quoque, quàm esset metuenda justitiæ tuæ severitas, cum inquinatum flagitijs hominum, opus illud manuum tuarum vindicibus aquis elueres. Nunc autem ex quo Verbum tuum, *figuram substantiæ tuæ.* Heb. 1. Filium illum amantissimum, *in quo tibi ab æterno complacuit,* Matth. 17. ad extremam hominum conditionem abjectum, natum in stabulo, in præsepio reclinaturn, vagientem in cunis, fasciis alligatum, unjus diei infantem intueor, nunc, inquam, summa tua benignitas apparuit; nunc intelligo, quàm flagrans tuum erga nos, quàm singulare studium extiterit. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.*

Verùm ut tanta Dei bonitas magis ac magis elucescat; excutiamus diligenter, Adolescentes Christiani, quo tandem consilio, quàm pio voluntatis affectu, tam eximium humano generi beneficium Deus contulerit. Erraveramus, quotquot sumus, à via veritatis, & cæco cupiditatum astu à recto tramite omnes abducti habebamus neminem, quem, vel revocantem audire, vel præeuntem sequi vellemus: Deus filium suum, cui non liceret fidem abnuere, quem non imitari turpe esset, nobis
in

in Exemplum dedit ; hoc primum divinæ benignitatis caput. Excideramus eo jure , quod collata primis parentibus ab ortu ipso innocentia nobis ad beatam immortalitatem dederat , & perpetuo damnati exilio nequicquam gemebamus ; Deus Filium suum ejusdem immortalitatis redimendæ in pretium dedit ; hoc alterum divini erga nos amoris argumentum. Utrumque quàm justa Christo ipsi causa fuerit , ut diceret , *sic Deus dilexit mundum , ut Filium suum Unigenitum daret* , geminâ hujus Orationis parte , quantum patientur angustia temporis , demonstremus. Igitur sic Deus dilexit mundum , ut Filium suum nobis in exemplum daret , hoc priore quidem parte : sic Deus dilexit mundum , ut Filium suum in pretium daret , hoc posteriore intelligetis.

I. P A R S.

AC primò quidem revocate , quæso , animis , quæ facies esset orbis universi , antequam Christus in terras laberetur : quàm pravi sensus hominum , quàm distorti affectus , quàm projectæ ad omne facinus voluntatum inclinationes ! Ut omnes meditantes iniqua , scrutantes perversa , nefaria molientes ! *Dominus* , inquit Psalter regius , *de caelo prospexit super filios hominum , ut videret , si est intelligens aut requirens Deum. Verùm corrupti sunt , & abominabiles facti sunt in studiis suis , omnes declinaverunt , non est , qui faciat bonum , non est usque ad unum.* Psal. 13.

Agite enim : quota pars in toto terrarum orbe , si brevissimum Judææ angulum excipias , quæ verum Numen agnosceret ? Suos sibi quisque Deos fingebat ad arbitrium : tot erant illi , quot erant turpissimæ cupiditates : & impia pariter ac flagitiosa hominum natio ita nullum ponebat perversitati modum ; ut illa , quibus se inquinabant , scelera prætentio Deorum nomine consecrarent. Jam inter eos ipsos , qui se veri Numinis cultores profiteban-

tur, quàm erant multi; qui avaritiæ fardibus, qui honorum ambitu, qui voluptatum illecebris nequiter defervirent? Quis tenuitatis suæ conscius abjicere se infra cæteros? quis spoliare se bonis paternis & voluntariam colere paupertatem? quis macerare corpus, & inflictiis ultro doloribus carnem affligere aut sustinebat, aut etiam noverat? Imò ipsa virtutum illarum nomina ignorabant, ne dum illas colerent, atque exercerent. Frustra Deus quosdam identidem plenos æmulatione viros suscitârat; qui corruptos, depravatôsque mores arguerent, increparent vitia, virtutis amorem inspirarent. Gravior erat, & diurnitate temporis confirmata nimis mali acerbitas, quàm ut levioribus ejusmodi remedijs curaretur. Nempe natura morbi hujus, quo genus hominum laborabat, non tam verbis sanari poterat, quàm exemplis.

Hoc intelligens, & humano generi medelam afferre cogitans cupidissimus reparationis nostræ Deus hanc in ipso Filio novæ, quam parabat inducere, vitæ formam atque ideam exhibere voluit, unde exemplum sibi sumere nemo hominum detrectaret. At quanta in eo consilio Dei nostri bonitas eluxit; qui veterem, insitâmque penitus morum nostrorum corruptelam emendaturus, vim emendationis omnem atque acerbitatem voluit in proprio filio priùs experiri, quàm nobis eandem aut admittendam, aut etiam pertentandam proponeret!

Nihil ego jam miror, si Apostolus gentium Paulus Nativitatis Dominicæ Mysterium intuens quasi raptus ex se se in eas voces exclamet. *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus erudiens nos.* Tit. 2. Quam enim verò putatis Deum iniisse erudiendi unumquemque nostrum, & ad meliora provocandi viam? *Multifariam*, subjicit idem Paulus, *multisque modis olim loquens Deus in Prophetis, novissimis*

simis diebus istis nobis locutus est in Filio. Hebr. i. Audiamus igitur, quid loquatur; attendamus diligenter, & ad percipienda cœlestis illius, quam tradit, doctrinæ oracula aures nostras præparemus. Accedamus propius, penetremus usque ad præsepe, in quo jacet reclinatus infans Deus, & caveamus sedulo, nequid eorum nobis excidat, quæ ab ipsius ore promanabunt. Quanquam filet, aut nihil auribus insonat, præter vagitus miserabiles, tristissima paupertatis, angustiarum, dolorum, quos patitur, argumenta! Fallimur, Adolescentes Christiani, non loquitur ipse modò, sed quæcumque hinc adjacent, omnia loquuntur. Loquitur stabulum, in quo nascitur, loquitur præsepe, ubi componitur, loquuntur panni, quibus involvitur, loquuntur lacrymæ, quæ defluunt ex oculis, loquuntur vagitus illi miserabiles, in quos erumpit, loquuntur minuta & tenera corpusculi membra, quæ fasciis astringuntur, ipsum denique silentium, quod miramur, disertissimè loquitur.

Imò, imò, agnosco, sentio, intelligo vocem illius, *qui cepit facere & docere. Act. i.* am exemplo docet, inquit Bernardus, *quod postea traditurus est verbo.* Jam beatos pauperes clamat; beatos, qui lugent, prædicat; beatos, qui patiuntur propter justitiam, profitetur. Nunc primùm divitias reprobatur, superbiam & ambitionem arguit, & mollioris vitæ delicias execratur. Nunc è stabulo meliùs, quàm olim è monte Evangelicæ disciplinæ fundamenta orditur, & jacit.

Nam quis, amabo, commendanti paupertatem non credat, quem ad extremas egestatis angustias redactum, & rebus spoliatum omnibus noverit? cui procul à cognatis, amicis, notisposito nullum comitatum nullum auxilium, nihil eorum, quæ miserrimis, quibusque nunquam desunt, videat suppetere? quem sine tecto, sine lare, sine

foco, nihilo sanè commodiùs quàm foris, in aperto ac propatulo loco, subque dio natum & educatum sciat? Quis repudianti honores atque dignitates fidem derogat, dum ipse sciens ac volens vilissima ouæque, spreto conculcatóque mundano fastu, amplectitur? dum patrem opificem, matrem peræquè in vulgus ignotam, tenuissimis utrumque fortunis feligit? dum emendicato ostiatim diversorio spretus insigniter, & per summam ignominiam exclusus, undique ad desertas atque inhabitabiles attegias, merum cespitem, meram maceriam, ad mutarum animantium conditionem, societatem, ac veluti contubernium se demittit? Erit aliquis denique, qui diffluentem delicijs, voluptuosámque vitam increpanti contradicere audeat, quem gravissimos molestiarum omnium atque acerbissimum casus intelligat subijisse; & innumeris, quibus humana infirmitas conflictatur, ærumnis obnoxium ac subiectum fuisse fateatur?

Nam si tanta vis est in exemplis ad commovendos animos inclinandasque voluntates, quantam inesse revera usu quotidiano atque experienciâ cognoscimus; cuius ponderis oportet esse Christi nascentis exempla, cum ad extirpandam abolendamque in unoquoque nostrum prioris consuetudinis vetustatem ac corruptelam, tum ad inducendam meliorem, sanctiorisque vitæ novitatem atque innocentiam?

Nolite enim existimare Dominum Jesum, tot ac tantis infantia suæ miseris circumseptum, quasi unum aliquem è liberis mortalium, cui isthæc ætatulæ illius primordia fortuito Natalium casu obvenirent. Supremus ipse rerum omnium dominus; ætatum, locorum, tempestatum, totiusque naturæ effectus ac moderator; id si illi tantopere cordi erat, ut Deo minus quiddam hominum causâ fieret; aut si necessarium nobis videbatur, ut ad hu-

manita-

manitatem nostram se se deprimeret ; poterat , ablegatis longiis infantia molestias , eâ firmitate laterum , eâ proceritate membrorum , eo corporis totius habitû prodire in hunc orbem . quò vel ipse vir inter viros confirmatâ postea ætate exstitit , vel quo hominum parentem primum novimus maturum ac prorsus virum , ut erat Dei summi architecti manibus fabricatus , ita de repente processisse in medium , & apparuisse coram ex improviso .

Si tamen necdum amoris suo factum satis videbatur , cum se in nostrum numerum aggregabat , nisi factus nobis ex omni parte simillimus , ætatis gradus singulos decurreret ; nisi obiret statas vices , variâsque mutationes , & quædam , ut militandi , sic & vivendi stipendia conficeret ; poterat ita lenire infantia suæ molestias , ut non hyeme , sed vere , non noctu , sed interdium nasceretur ; ut tanto hero atque hospiti digna domus non deesset ; ut saltem mitigaret asperitatem temporum bonitas loci , angustias ætatis laxitas habitandi & rei domesticæ copia sublevaret . Sed quæ , malum ! tecti opportunitas ei , qui non agrum , non villam , non ædiculam habet , ubi pedem in suo ponat ! Tamen esto ; alieno in loco nascatur ; cujus cælum ac terra est , & quæ utroque continentur ; at in conducto , at in commodato , at in clauso , at aliqua in domo . O Deus immortalis ! rerum parentem , conservatoremque omnium , non hærediolum apud suos , non inquilinum pretio ac mercede , non amicum gratis , non mendicum alienâ misericordiâ , uspiam ac non foris habitasse nascendo ! Stabulum , præsepe , scænum ; tantumne ? latibulum pecudum , lustrum ferarum , locum derelictum , patentem , ruinosam sedem ex altissimo , pulcherrimoque cæli domicilio præbuisse venienti ! Hæc sedes imperij , hoc palatium , hic suppellectilis apparatus , quem æquis-

simus rerum creaturarum æstimator, idémque dominus atque arbiter suum esse voluit!

Quid ad hæc dicemus, Adolescentes Christiani? quem deinceps habere nos decet divitiarum, honorum, rerum cæterarum gustum ac sensum, quas Christus statim ab suo in mundum ingressu despicit, abjicit, abominatur? Revocemus ad examen tritum illud quidem, at nihilo solidum minus ac verum Divi Bernardi argumentum. *Aut mundus errat, aut Christus fallitur.* Aut mundus errat, dum fluxas, periturâsque opes, vanos & inanes honorum titulos, mollis ac delicatæ vitæ illecebras tantopere consecratur; aut certè fallitur Christus, dum extremæ paupertatis inter angustias, inter summi contemptûs opprobria, inter gravissimos dolorum aculeos, utriusque fortunæ arbiter, nascitur. Falli Christum, quem ipsam omnipotentis Dei sapientiam profitemur, nefas est dicere; Quid porro superest, nisi ut vanitatis, erroris ac dementiæ mundum arguamus?

Neque verò exemplum istud, quod cæteris quidem hominibus nascendo Christus exhibet, alienum ab ætate vestrà, vestrisque moribus putatote, Adolescentes. Imò nullos imitatores sui Christus ambitiosius velit esse, quàm vosmetipsos, quorum potissimum gratiâ nasci parvulus, ac singulos pedetentim infantia, pueritiæ, atque adolescentiæ gradus voluit decurrere. Nempe in informanda illa, erudienda, suisque virtutibus exornanda vitæ parte amavit se plurimum, quam factus grandior teneriore quodam voluntatis affectu supra reliquas dilexit ætates; quam cæterarum veluti formam & absolutum exemplar commendavit; cujus innocentiam & expertes fuci mores proposuit omnibus ad imitandum, qui cœlestis patriæ felicitatem ambirent.

Agite

Agite enim verò, unde illustriora innocentiae, pudoris, modestiae, mansuetudinis, docilitatis, obedientiae, quae sunt aetatis vestrae ornamenta, mutuari vos exempla liceat, quam à Puero JESU; qui virtutes illas statim ab ortu, ad ipsa exactae juventutis tempora tam mirabiliter exercuit? qui vel inter matris ubera plenissimo rationis usu fruens, regi se nihilominus, cæterorum infantium more, ac circumduci parentum ad voluntatem passus est? qui per multos annos durissimae ac laboriosissimae Juventutis, unam hanc sectari visus est laudem, ut se Mariæ æquè ac Josepho vilissimis etiam in rebus obsequentem ac subditum exhiberet? Documentum ingens, Adolescentes Christiani, quam dociles, quam cereos, quam flexiles in omnem partem ac patientes culturae animos afferre vos deceat moderatoribus; qui aetatem vestram liberalibus, sanctisque disciplinis imbuendam, grande munus pariter & onus, susceperunt?

Quin & hæc ipsa, quæ Christus infans admittit in se vitæ austerioris exempla, non minùs vos in hoc, quem decurritis, aetatis flexu respiciunt, quam ad eosdem olim plenioribus maturos annis pertinebunt. Neque enim alia potior Puero JESU videtur fuisse consilij ratio, quamobrem, vel ab suo in hunc orbem ingressu, tam stupendum rerum humanarum contemptum præ se ferret, nisi ut eundem teneris adhuc ac recentibus juvenum animis inspiraret. Intelligebat nimirum, qui penitissimas humani cordis latebras scrutatur, & intuetur Deus, quam difficilis operæ foret; ut quis divitias negligere, honores fugere, voluptates spernere sustineret; nisi insanos rerum istarum amores statim dedoctus, quidquid caducum ac perituum est, ab adolescentia parvi facere, ac paulatim etiam contemnere assuevisset.

Id ipsum per se unusquisque vestrum æstimet, Adolescentes. Putatis maturam ætatem assecutis imitandum vobis esse in contemptu mundi Infantem JESUM, si jam eundem mundum, & ea quæ in mundo sunt, amando deperitis? Tu magnas olim positus inter opes, non inservies illis turpiter, aut etiam illas abjicies egregius contemptor, cujus avidos jam nunc oculos argenti nitor ac splendor auri adeò perstringit? qui id ipsum cumque, quod habes, recondis sedulò ac fordidè comparcis? qui egenti, ac mendico subveniendi gratiâ, ne modicâ pecuniæ parte genium defraudare sustines? Tu mediis aliquando inter illecebras atque irritamenta voluptatis vives abstinentissimus; qui curandæ, fovendæque molliter cuticulæ nunc indulges? qui furtivas, vetitâsque delicias conquiris? qui enâam vix ac prodentem se se libidinem, tot instructus ad eam coërcendam præsiidiis, compescere ac refrænare non vales? Tu denique amplissimas vel Ecclesiæ, vel militiæ, vel Togæ adeptus dignitates abjectè senties de teipso, aut deprimendi tui animum induces, qui junior inani tumes Natalium fastu? qui leves aucuparis rumusculos, & omnes umbras futilis ac falsæ gloriolæ consecraris? quem amica moderatorum consilia exasperant potius atque irritant, quàm pravos errores dedoceant, aut ad meliorem vitæ frugem revocent? Erras, erras, mihi crede, si tam contrarias, tam ex adverso positas vitiis, quæ nutris hodie ac foves, tibi virtutes aliquando polliceris. Assuescite nunc igitur, Adolescentes, Christum pauperem, abjectum, patientem, quantum per ætatem vestram licet, æmulari. Quid non aggredi liceat tanto duce atque auspice, qui non modò nobis datus est in exemplum, sed etiam in pretium oblatus?

II. PARS.

II. P A R S.

De hoc altero divini erga nos amoris argumento quàm multa se offerret dicendi seges; nisi temporis angustia imponendum jam jam orationi finem admonerent. Rem itaque paucissimis verbis ita conficio, ut non tam notissimi vobis mysterii veritatem explicare aggrediar, quàm impositas inde vobis officii partes declarare.

Ita creverat in immensum humani generis perversitas, adeoque divinam in se indignationem peccando concitârat, ut neque venia locus aliquis, neque spes salutis ulla superesse videretur. Actum erat de nobis ac penitus conclamatum, nisi spes nostras fuscitâset ipse Deus, &, quam nemo hominum suffecisset unquam, hanc in proprio filio communem pro peccatis victimam statuisset. Hæc illa divini consilii ratio Christum è regali divina Majestatis solio in terras evocat, ubi tamdiu parat exulare, donec expiatis suo sanguine mortalium flagitiis oclusum æternæ beatitudinis aditum referârit. At quanta divina benignitatis immensitas, ut innocens pro reis, justus pro injustis, Dominus pro mancipiis, Deus pro vilissimis homuncionibus se se in pignus ac pretium devoveret!

Adeste igitur animis, Adolescentes, & Puerum JESUM tot tamque gravibus ærumnis vestrâ omnium causâ perfurgentem attentè contemplamini. Quidquid hic durum sustinet, quidquid asperum ac molestum patitur, totum hoc vobis ultrò ac volens impendit. Quòd exclusus undique per summum nefas ad miseræ tugurioli tenebras redigitur, quòd alget malè compositus in præsepe; quòd vagit in cunis; quòd frigida tempestatis incommoda, extremæ paupertatis angustias, rerum penuriam omnium, sibi relictus uni, solatiumque expers omnis non detrectat, hoc sui in vos amoris pignus ac monimentum

nimentum

nimentum agnoscite. Divinæ justitiæ, quotquot estis, multis nominibus debitores, quod pendere pretium nemo vestrum poterat, ipse persolvit. Vestris ille jam tum onustus flagitiis, quas dare vos pœnas sine fructu, sine emolumento decuisset, illas melioribus auspiciis vestræ apud Deum pacis ac gratiæ reconciliator suscipit. Neque enim ignorare vos oportet, Puerum JESUM, tot infantia suæ molestiis obnoxium videri, non eo solum consilio & animo, ut nævum fatalem illum, nativamque labem, quæ singulos ab ipso fatu, conceptumque occupat atque inficit, bonus eluat; sed etiam ut gravissima quæque flagitia ac scelera, quæ aut in se admittent homines, aut admissuri erant aliquando, expiaret.

Itaque ille tum pœnas dabat furtorum, quæ hominum avaritia, homicidiorum, quæ crudelitas, impuritatum, quas petulantia ac libido susceptura deinceps ætatibus cunctis esset ad finem usque & occasum universi orbis. Quisquis obscœnissimo ore verba profers, quæ vel audiri pudor vetat; viden' tu Puerum elinguem ac mutum? tua illum verba infantem fecerunt. Qui pudicitia & honestatis oblitus abuteris manibus ad flagitium, illum tu facis obligasti. Qui pascis oculos inverecundis imaginibus, qui corpus luxu frangis, & mollibus vetitisque deliciis enervas, tu illius oculos depressisti, tu infirmasti vires; pœnas tibi sceleribusque tuis debitas toto corpore suo expendebat. Quo igitur animo te esse decet, si inhumanus, si planè ferreus non es in eum, quem nôris tuas partes suscipere, culpam tuam sustinere, se pro te reum supponere?

Ah! si nihil aliud præstare Christo possis, unde gratus ac memor animus erumpat, saltem pone aliquo in loco beneficium illud, quod tibi nascens impertit. Intellige quanta sit dignitas animæ tuæ, quam

quam perennibus suppliciis obligatam ut exsolvat, semetipsum offert piacularem in hostiam. Metire pretium illud ex ipsâ Dei Majestate, qui se vadem & obsidem jam oppignerat, donec redimendæ ejusdem gratiâ, quidquid sanguinis in venis micat, effuderit.

Nihil hic dictum à me vel ambitiosius ad ostentationem, vel ad hodierni beneficii prædicationem magnificentius. Nolim ego tibi fucum facere. Christiane Adolescens, quisquis es; Augustinum audi nativitatis Dominicæ beneficentiam excutientem. *Tanti vales, inquit, quanti Deus.* Igitur Dei sordes hominum, & mortalis naturæ miseras suscipientis humilitatem & abjectionem expende, tanti vales! Dei viles terras tui causâ pulcherrimo cæli domicilio præponentis, obnoxiam laboribus & opprobriis infantiam expende, tanti vales! Dei, ad obendum salutis tuæ gratiâ quemcunque suppliciorum modum, teneros artus jam tum præparantis lacrymas, algorem, paupertatem expende; tanti vales! Tot impensis, tot sumptibus quæsitâ, redempta, instituta anima tua est. Quanti tu illam hæctenus fecisti? quantum curæ, quantum diligentia adhibuisti, ne tibi res tam pretiosa deperiret. Quid egisti unquam, quid passus gravius, eam ut in tuto collocares, & incolumem custodires? Ah! potius quoties animam illam tuam turpiter abjecisti? quoties brevissimæ voluptatis pretio Satanae oppignerasti? quoties sciens, volensque sempiternis ignibus addixisti? Christum interim non ignorabas è supremo Majestatis suæ folio delapsum fuisse, ut per mille molestiarum ac dolorum aculeos illam redimeret ac servaret?

Vos ego per immortalem Deum rogo, Adolecentes, per Christi Natalem plenum egestatis, plenum contemptûs, plenum patientiæ; per salutem fortunâsque vestras, quæ in ipso positæ sunt, cave

vete

vete diligenter, ne, cum tam multa pro salute vestra Christus fecerit, ac pertulerit, labores ipsius omnes irritos inanisque reddatis. Nolite, quæso, committere, ut, cum nemo vobis propior sit, quam vos, tum nemo vestri negligentior, quam vos, nemo vobis inimicior, quam vos esse videatur. Pergite eximium, immortale ac divinum Christi beneficium tueri ac sustinere; & dum se vobis pro charitate sua in Exemplum, & in Pretium nascens impendit, eam saltem referte gratiam, ut per ipsius exempla vestra ipsorum saluti studiosè ac constanter adlaboretis.



IN PASSIONE
DOMINI
ORATIO IV.

Filia Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Luc. 23.

ITa compellabat Christus Dominus pias illas Feminas, quæ insito commiserationis sensu crucifigendum ipsum in Calvariæ monte collacrymantes sequebantur. Id ipsum hodie, quis credat, ab alto Crucis patibulo Christus idem exspirans unumquemque nostrum tanto post tempore rursus admonet. *Nolite flere super me, sed super vos ipsos flere.* Tamen itane verò est, Adolescentes Christiani, ut in tam justa luctus materia flere nobis non liceat? Non erumpemus in lacrymas, dum acer-
bissimos

bissimos inter cruciatus, Supremus rerum Moderator atque arbiter Deus, innocens victima in ara Crucis immolatur? At ecce vultus suos caliginosâ nube Sol obnubilat, Luna deficit, finduntur petrae, recluduntur monumenta, terra concutitur, velum templi scinditur per medium, suisque convulsa sedibus natura tota morienti suo Creatori, quoquo potest modo, ardet parentare. Interim unus homo tam funestæ mortis & causa & pretium, erit aded ferreus, ut spectaculum ejusmodi siccis oculis aspiciat? hoc ferat Christus? hoc velit? hoc imperet? sic est tamen, Adolescentes; neque mirum illud accidat. Nam quid inanes lacrymæ Christum adjuvent, quæ nec dolores ejus allevant, nec mitigant cruciatus, nec sanguinem restinguunt, nec sanant vulnera, nec crudelem, quæ paratur ipsi, mortem impediunt, aut remorantur! Alias hodie sibi lacrymas Christus reposcit. Vultis utilibus, & verè piis lacrymis Christi funus prosequi? Hæc deflete, & perpetuis lacymarum fontibus eluite, si potestis, quæ Christo tot inter dolorum aculeos moriendi causa exitère. Peccata vestra intelligo, quæ tam crudele, tam horrendum, tam detestabile parricidium perpetrârunt. Illa, illa sunt, quæ Dei Omnipotentis iram ita provocârunt in amantissimum Filium, ut, nisi exhausto ipsius sanguine, fatiari nullâ ratione potuerit.

Audiamus, Adolescentes, audiamus Deum ipsum de Filio suo ita profitentem. *Propter scelus populi mei percussi eum. Isa. 53.* O dignam dolendi lugendique materiem, Peccata nostra Christum innocentem Cruci affixerunt! Quid si peccata illa Christi dolores, ac vulnera quotidie refricant? quid si novam in eum mortis sententiam pronunciant? quid si benignissimum JESUM rursus crucifigunt? Nolite mihi credere, Adolescentes; sed Apostolo credite malos sui temporis Christianos

in-

increpanti, quòd rursus sibimetipsis Christum crucifigerent! Exclamemus igitur cum Prophetâ; *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die ac nocte*, Jer. 7. peccata illa, quæ Christum olim semel in Cruce, eundem in corde meo toties immolârunt? Attendamus diligenter ad geminum, quòd peccata nostra sufficiunt, perpetui fletûs argumentum. Peccata nostra Christo patiendi ac moriendi olim causa extiterunt; hoc primum. Peccata nostra Christi dolores ac mortem quotidie renovant, hoc alterum. Utrumque gemina orationis parte consideremus.

I. P A R S.

Tanta est illius, quâ per peccatum divina Majestas læditur, injuriæ gravitas, ut non in creaturâ cujusquam potestate sit, contractam peccato labem expiare. Finge tibi, quotquot habet cœlestis patria, purissimas Virgines, Confessores sanctissimos, fortissimos Martyres, Spiritus omnium Ordinum divinæ charitatis ardoribus ferventissimos mutuis ac conspirantibus omnes animis contendisse, ut assiduis precibus, laboribus asperrimis, perpetuis etiam, si voles, cruciatibus unjus lethalis noxæ offensam compensarent; nunquam id illi, vel æternum affliciendo se se, fuissent consecuti. Unus erat pro peccato satisfaciendo par Christus Dominus; unus iratum nobis Deum placare poterat. Actum erat de salute nostrâ, nisi ille, *qui peccatum non noverat*, inquit Apostolus, nostrâ in suo corpore peccata pertulisset.

At quàm grave, quàm durum onus subiisse putatis benignissimum JESUM, dum se communi expian-
dis totius mundi flagitiis victimam obtulit? Intelligite nunc tandem, Adolescentes, atque hinc, quanta sit peccati labes, obstupescite. Postquam semel fatalis dies illuxit, quem Christi flagrantissimus er-
ga

ga nos amor exsolvendo debitam peccato pœnam delegerat, quàm nova, quàm stupenda, quàm funesta rerum facies exsurgit! Scilicet Deus Optimus, Maximus, qui vel in ipsa naturæ mortalis infirmitate coæqualem sibi filium hætenus agnoverat; qui, aicitas extrinsecus inter sceleris umbras, hominis innocentissimi perviderat integritatem, mutatus repente totus tenerum patris affectum, & ipsam oculati iudicis personam videtur exuere; nihil ut in filio deinceps introspiciat, quod suam indignationem non exstimulet, furorem non accendat, ultionem non provocet: hæc una peccati labes, quam suscepit Christus eluendam, obversatur oculis; hanc in ipso sceleris umbram ita persequitur implacatus vindex Deus; nullum ut satis grave supplicii genus, nulla pudenda satis contumeliæ species, nulla satis cruenta mortis conditio sit, quam subire Christus ac perperâ non debeat.

Nolite igitur jam mirari, si tam turpiter deseratur à suis, tam ignominiosè prodatur à domesticis, tam perfidè, tam inhumaniter ejuretur, ac vendatur à Discipulis. Levia illa sunt, & prima dolorum rudimenta, quos inimicorum ipsius rabies, aut potius irati patris inclementia meditatur. Ipse benignissimus JESUS, incenso quantumvis humanæ salutis studio tristissimam illam horam ambiisset, cum intueri cœpit animo acerbissimos propinquæ mortis cruciatus, & summam cum summis doloribus conjunctam infamiam: cum revolvit secum tacitus nutantem ac dubiam discipulorum fidem, confirmatam legibus & magistratum auctoritate carnificum audaciam: cum stolidæ plebeculæ sibila, contumelias, probra, ululatus sibi representavit ad vivum: cum trahendum se per urbem, sistendum ante Præsides, cædendum alapis, flagris lacerandum, confodiendum spinis, sicariis posthabendum, componendum cum furciferis, in

D Crucem

Crucem distrahendum ac suffigendum expendit; hæc tanta, tam dura, tam aspera cogitatione complexus exhorruit totus ad terribilem aspectum. Mox colluctantibus inter se, & sanctissimam animam varias in partes trahentibus tædio, pavore, mœstitiâ, ecce sanguineus sacro de corpore sudor exoritur. Hinc exanimatus pœne, deficientibus ipsum viribus, in terram collabitur; ac veluti suscepti laboris & dicti pro nobis Sacramenti ipsum pœnituisset, profusus in faciem, semel iterumque ac tertio suppliciter petit, orat, obtestatur, *Pater mi, si possibile est, transeat à me Calix iste.* Matth. 26. Verùm heu; nequicquam est; Filii amantissimi precibus non flectitur Pater, non placatur, non mitigatur. Calicem totum, quàm amarus est, innocens JESUS ad fæces usque exhauriet, jacta alea est, justus pro injustis peribit!

Dum loquor, jam approquinquant immanes duræ sententiæ administri: personant omnia vagis & inconditis clamoribus: adest subito tumultu turba ingens militum, civium, servorum, operarum facibus, gladiis, fustibus armata: præest infanæ cohorti signifer Judas mitissimum Dominum, inauditâ sceleris specie, pacis osculo traditurus! Actum est de te, bone JESU, de vitâ tua conclamatum! Ecce veluti quodam æstro omnes perciti in Christum, tanquam in prædam, irruunt, eundem iâibus trudent, propellunt, vinculis onerant, & laqueis constrictum foras pertrahunt; Ah! sistite impetum, crudeles! quò vos immanis furor præcipitat? nihil igitur augusti capitis reverentia, nihil majestatis frontis, nihil modestissimi vultûs gratia, nihil divina totius hominis dignitas quædam atque amabilitas ab infando scelere deterruerunt? Vósque aded fortunati beatarum mentium ordines, qui beneficentissimi JESU innocentiam ac sanctitatem, inter illas, quibus obtegitur, peccatorum nostrorum umbras,
per-

perspiciatis; non obstupescitis ad tam triste tamque immane spectaculum: non advolatis ocyus? non irruitis densis agminibus? Regem vestram ac Conditorem ex impiis inimicorum suorum manibus non eripitis? Nihil agimus: Angeli pacis amarè lugent: hoc unum possunt amanissimi Domini gratiâ; prohibet læsus divinæ justitiæ furor, ne quid ulterius audeant. Rapitur ergo Christus impunè, & per varia iniquorum Judicum tribunalia cruentum in morem pertrahitur, irridetur, exploditur, conspuitur, colaphis tunditur, mutilatur, flagellis cæditur, crucifigitur, & per mille dolorum aculeos innocentem animam profundit.

Huc oculos, Adolescentes Christiani, & tristissimam Christi Domini morientis effigiem diligentius contemplamini. *Attendite, & videte, si est dolor similis, sicut dolor illius.* Thren. 1. *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Isa. 1. Cernite transossam acutissimis vepribus caput, obscuratam frontem, extinctos & mediâ jam in morte natantes oculos. Intuemini turpatas sputis, cæfas alapis, & sanguineo rore madentes genas. Aspiciate flagris lacerum, & continuâ sanie tabidum corpus, perforatos clavis pedes, transfixas manus, pendulam ac suspensam è cruce molem corporis. Pensate dolorum multitudinem, acerbiter vulnerum, pudendæ mortis infamiam; atque hinc peccatorum vestrorum gravitatem tandem aliquando intelligite.

Quorsum enim è pulcherrimo Cœli domicilio delapsus in terras Christus conditionis humanæ miserias amplexus est? quorsum tot exercitatus laboribus, quorsum affixus Cruci per mille vulnera vitam profundit; nisi ut iniquitates nostras, quibus eluendis eramus impares, fuso ipse sanguine expiaret? Adeste igitur animis, & propioribus oculis atritum propter peccata vestra Dominum JESUM, &

D 2

propter

propter scelera vestra vulneratum inspicite. Nolite, amabo vos, nolite proditoris Judæ perfidiam, malevolentiam Judæorum, Judicum iniquitatem, impudentiam militum, tortorum immanitatem, aut incusare gravius, aut acerbius execrari. Quidquid hic admissum sceleris, quidquid patratum flagitii est, vestrum, scelus Adolescentes, vestrum flagitium est, Agnosce, perditæ juvenis, si quis esses, in hoc tristissimo Christi morientis spectaculo parricidii tui crudelitatem, ferociam, immanitatem; recogita tecum años tuos in amaritudine animæ tuæ; expende, quàm sæpe, quàm graviter vel cogitatione, vel dicto, vel facto Deum offenderis, Tu, dum Christiani nominis dignitatem oblitus, aut certè nullo reputans in loco, amplitudinem generis, opum magnitudinem, opinionem hominum tanti faciebas & ostentabas ambitiosius; Christus jam tum in cruce superbiam illam tuam mille spinarum aculeis in capite transfixus eluebat. Tu, dum consuetudinis prævæ confectus vinculis solenni die sacrum ad tribunal sine ullo pœnitentis animi affectu, aut melioris vitæ proposito adrepebas; Christus duritiem cordis tui acerbissimo dolore, & amarissimis lacrymis expiabat. Tu, dum sædæ conscientiæ sentinam exhaurire non ausus partem delictorum longè gravissimam celabas; Christus inter sceleratos atque homicidas computatus intempestivum illum pudorem exsolvebat. Tu, dum flagrans libidine, dum tacitâ cupiditate æstuans pudendis & obruendis æternâ nocte piaculis maculabas te ac contaminabas; Christus in medio penulæ militiæ nudus, & dirissimis flagellis laceratus turpitudinis tuæ pœnas dabat. Tu, dum ad socios, vel magistros impuritatis, ad nefarias impietatis scholas divertebas; Christus ad expiandos flagitiosos incessus, sacros pedes, ut perfoderentur, offerebat. Tu, dum pudoris immemor inferebas manus vagè ac licenter,

quo

quò neque decet, neque fas est; Christus geminas hinc atque inde manus cruci affigendas expandebat. Tu, dum ore nequissimo maledicta, contumelias, perjuria, obscœna verba proferebas; Christus sacratissimam linguam felle & aceto perfundebat. Tu denique, dum vindictæ modum meditabâre, dum coquebas iram in sinu, dum cordis impuri sensus illicitis cogitationibus ac desideriis pascebas; Christus purissimo suo pectore aciem lanceæ excipiebat. Sic tibi ruenti ad flagitia cœlestes DEI Omnipotentis iras Christus avertebat; sic debitam sceleribus tuis pœnam exsolvebat; sic innocens pro nocente, justus pro iniquo, purus atque integer criminis pro nefario ac scelesto plectebatur.

Têne ego tot suppliciis affecerim, ô Christe! Têne durus ac perditus carnifex affixerim Cruci? tibine tam cruentæ mortis auctor extiterim? heu! verum ô nimis! tot criminum reus, tot peccatorum conscius nihil habeo, unde factum excussem! sed quid agam? moreris, ô Deus, & ego superstes vivo. In me, in me furorem vestrum convertite, ô tortores: nocentem perditæ, scelestum, impium, tot nominibus divinæ justitiæ debitorem crucifigite! Nihil ago, nihil promoveo, nequicquam queror! ô Christe, moreris, ne peream, vitæ temporalis usuram abjicis, ne æternâ vitâ aliquando caream! At saltem quâ deinceps habiturus sum in parte peccata illa, quæ tibi lucem eripiunt? Eadême perpetrare rursus aut velim, aut sustineam vecors, ingratus, impius? Ah! si potius præteritæ delicta juventutis sanguineis deflere, & expiare lacrymis possim! Interim has habe tibi ô Deus, qualescumque lacrymas, quas verus ac sincerus peccatorum meorum dolor ex ipsâ cordis duritiæ tandem elicit!

Quanquam ô me infelicem! doleo ereptam tibi à me semel in Calvariæ monte vitam; nec adverto imprudens, quoties ejusdem parricidij reus te in meo corde crucifixerim! Unde porrò tanta lacrymarum

copia tot eluendis piaculis sufficiat? Ita res enim se habet, Adolescentes. Peccata nostra Christi dolores, ac mortem renovant, quod alterâ Orationis parte superest breviter demonstrandum.

II. P A R S.

Quanquam ea est Christi Domini, post expletum salutis humanæ negotium, felix fortunatâque conditio, ut positus extra quascunque mortalis vitæ miseras, nihil ab hominum injuriâ metuendum habeat: quis credat tamen sic in imensum prorupisse Mortalium perversitatem, ut contra fas, contra jus omne, Christi reficere vulnera, & mortem renovare crudelissimam etiamnum meditentur; At non his se finibus continet peccantium atrocitas, quibus parùm est meditari animo tam detestabile paricidium, nisi & illud majori scelere, quantum est in se, exequantur. Advertite, quod dico, Adolescentes; quoties lethale peccatum admittitis, toties benignissimum JESUM novis doloribus affligitis, toties novo ipsum scelere crucifigitis.

Neque hic quidquam ad vivum refeco; cum non sit hæc oratio mea, sed divini Spiritûs oraculum id ipsum contestantis, & Apostoli voce degeneres Christianos increpantis, quod nova proflus & inauditâ crudelitate Dei Filium in corde suo crucifigant. *Rursum crucifigentes sibi metipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Heb. 6.

Tamen, quis hoc sibi persuadeat, inquires, esse malitiæ tantum in peccato quolibet lethali, quod sæpe voluptatis unius, aut ambitionis, aut etiam humanæ infirmitatis partus est? Cui venit unquam in mentem, cum tentationis violentiâ superatus rapi se ad peccandum sineret, hoc imputandum sibi esse, quod Christi tortor ac carnifex haberetur? Quibus revinci possit argumentis in miserum peccatorem cadere tantam sceleris ignominiam, ac ferocitatem? Causam petis, infelix, propter quam immanis paricidii auctorem ac reum Oracula sancta te redarguant

quant, quoties mortiferam labem admittis? Hoc igitur altissimis defige animis, eam adhærescere peccato lethali pravitatem, ut, si illatam novo illo scelere divinæ Majestati contumeliam compensari ex æquo rursus oporteret; nihilo levius ab ipso Christo justus criminis ultor Deus exigeret piaculum, quàm quod reconciliando toti humano generi Christus idem in arâ Crucis semel obtulit. Ergo breves intra cordis unius angustias, quod infecit peccati labes, luctuosum horrendæ carnificinæ apparatus innocens JESUS rursus offendit. Illic novum opprobrii genus, novam suppliciorum seriem, nova verbera, novos clavos, novam iniqui tribunalis imaginem, nova funestæ mortis instrumenta sibi videt apparari. *Rursum crucifigentes sibi met ipsi: Filium DEI.*

Quantæ porro immanitatis est obductas renovare cicatrices, & acerbissimis amoris nostri gratiâ cruciatibus jam defunctum ad crudeles de integro pœnas revocare! Id cogitâras sedulo ac maturerè perpenderas, infelix Adolescens, cum oppigneratam toties Deo tam solennibus Sacramentis fidem violares; cum ejurata consuetudinis malæ flagitia itatim repeteres; cum receptam post tot relapsus gratiam primo quoque tempore prostitueres? An ergo nondum videbatur admissum à te sceleris satis, qui Christum olim Judæorum manu interfecisses, nisi denuo sacratissimum ipsius pectus multò acerbius confoderes? Acerbius dico, infortunate Adolescens, crucifigi à te Dominum JESUM, quando lethali labe te polluis, quàm fuerit ab Infidâ Judæorum gente mactatus. Impiè illi hominem innocentem persequebantur, at volentem, & se salutis humanæ gratiâ ultro devotentem: tu nolentem, invitum ac repugnantem insectaris. Illi peregrinantem in terris, & ærumnis vitæ hujus obnoxium impetebant; tu regnantem in cælo, & de mortali infirmitate triumphantem aggredieris. Illi partim

ignari, quid facerent, partim alienâ malevolentia compulsi cruentas in Domium gloriæ manus injiciebant; tu sciens ac prudens, hortante nemine, nemine provocante Deum tuum petis ac trucidas. Illi semel parricidium illud detestabile perpetrârunt: tu quoties eodem te parricidio contaminâsti?

Nunc igitur repete spatium præteriti temporis, & funestam dierum illorum memoriam recordare; cum vellicantibus te frustra conscientia stimulis humanarum pariter, divinarumque legum contemptor turpissimis facinoribus indulgebas; tunc, si nescis, Dominum Deum tuum, pro te jam passum, pro te mortuum, absque quo foret, ut devota sempiternis ignibus victima inter ardentis rogos gemeres, ac lamentareris; tunc, inquam, beneficij tam singularis oblitus Deum tuum laniabas, perimebas, crucifigebas. Atque hæc carnificina non longè à te, sed in oculis; non ut olim in Calvaria monte, sed in ipsis cordis tui penetralibus exercebatur. Illic effrænata cupiditates tuæ, totidem veluti carnifices ad omne facinus projecti, nequissimæ voluntatis, quæ Judicis iniqui partes agebat, imperium exequiebantur. Sedebat illa pro tribunali, & vociferantibus horribilem in modum habitibus pravis, Crucifige, Crucifige, mitissimum JESUM injustâ morte condemnabat. Continuo virgæ, lora, scutica, verbera, & alia, id genus, dirissimæ laniens instrumenta expediebantur. Stabat in medio innocens JESUS, & tacitis nequicquam motibus infame supplicium deprecabatur. Insiliebat in eum libido petulans ac proterva, & nudatum immisericorditer dilacerabat. Plaudabant repetitis ictibus reliquæ labes animæ, & suis unaquæque stimulis instigabant furem, & acuebant. Interim feralis in corde tuo erigebatur arbor, in quâ, non ut quondam expiandis omnium flagitiis, totique debita mundo victima, sed tibi devota uni, & nunquam
fortasse

fortasse profutura penderet. Te verò inertem & ignavum tam cruentæ tragædiæ spectatorem, partemque aded longè maximam, nec impensi auctoris recordatio, nec immanis parricidii atrocitas, nec tuam tibi arcanis vocibus perfidiam exprobrantis Christi commiseratio inflectebat, dure, crudelis, barbære! Ah si amicum tam acerbè, si extraneum, si mancipium tam inhumaniter excepisses, puderet te tui, & tuam ipsius sævitiam incusares! Deum sic habuisti tam sæpe, nec erubescis? nec doles? nec facti te piget? imò gloriaris, insolescis, &, tanquam re gestâ feliciter, juvenilem in modum exultas!

Obstupescitis, Adolescentes, novum illud, quod dico, videtur vobis & insolens. Nihil hic tamen fingo, nihil comminiscor, nihil præter modum exaggero. O miseram hominum conditionem! quò nos cæcitas, quò vecordia dementes rapit! Judæos damnamus, & imitamur; Christum miseramur, & per peccatum rursus cruciamus; sub mentionem obitæ nostrâ causâ cruentæ mortis, lacrymas insitâ quâdam misericordiâ vix tenemus, & eosdem luctus identidem aut innovamus, aut recenti accessione cumulamus.

Quo igitur animo esse vos deinceps oportet in peccatum, quod Christo semel quidem in Calvariæ monte, vestris in cordibus toties dirissimæ necis causa extitit. Etiâne carnificem illum Servatoris vestri atque parricidam fovebitis in sinu, in amoribus, in delicijs habebitis? Heu! quæ spes salutis deinde superest, si salutis auctorem malè perdidistis? Ah! pereat potiùs tanti sceleris artifex; debitas pœnas luat, &, qui mortem intulit tam sæpe, mortem & ipse tandem aliquando patiatur. Sic erit, ô Christe! Peccatum, hostem illum tibi capitalem eo, quo par est, odio habebimus: æternas hodie declaramus illi inimicitias; eum, quò demum se recipiat, insequemur acriter, & vel

in ipsis animæ nostræ penetralibus latitantem immisericorditer immolabimus.

At te, benignissime JESU, per isthæc vulnera, quæ, miseri quanquam fecimus, nostram agunt causam, & veniam postulant, oramus atque obtestamur. Noli vel meritos abjicere: excipe gemitus illos sinceri indices doloris. Te pia moveant, quæ tu ipse excitasti in unoquoque nostrum, vitæ melioris desideria. Ac, si quam animæ nostræ partem lethalis noxæ macula etiamnum inficeret, illam saluberrimo sanguinis tui lavacro sic ablue, ut munda tota atque integra, immortalis, quod parasti nobis tuâ morte, beneficio frui aliquando possit.



IN SACRO DIE PENTECOSTES.

O R A T I O V.

Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui. Act. 2.

Quod olim in monte Sinai, non sine incredibili quâdam admiratione, factum legimus, ut positurus Israëlito populo leges inter fulgura ac tonitrua Spiritus Domini descenderet; id ipsum succedentibus deinde temporibus in urbe Jerusalem melioribus renovatum fuisse auspicijs Christianum genus meritò gloriatur. Neque enim, Adolescentes charissimi, delapso rursus in terras divino Spiritui, non ut in lapideis tabulis, sed in mortalium cordibus novas ipse leges scriberet, vel repetiti toni-

tonitruum sonitus, vel terrifici flammaram turbinés, sacrae Majestatis apparatus, defuerunt. *Et factus est inquit Lucas, repente de Cælo sonus, tanquam adveniens Spiritus vehementis... & apparuerunt illis dispersa lingua tanquam ignis.* Act. 2.

Verùm quàm dispar gemini illius illapsûs ratio, quàm dissimilis exitus fuit! Olim, ut incredulum ac rebellem populum Religionis metu in officio contineret, præsentem se in isto formidabili comitatu divina Majestas exhibuit. Tunc, ut jacentes erigeret, recrearet perditos, afflictos, consolaretur, Deus ad amantissimos discipulos delapsus est. Olim tanquam vilissimis mancipiis plenam tristissimis comminationibus legem, & durissimum servitutis jugum imposurus venerat. Tunc ut suos veterum Legalium onere eximeret, & in libertatem filiorum Dei vindicaret, apparuit. Olim, temporanearum rerum expectatione, Deus Israëlitas ad implendam legem alliciebat. Tunc, ad excitandos ad amorem sui Christianorum animos, non cœlestia tantùm gratiarum dona, sed & se ipsum insuper totum, bonorum omnium fontem atque originem, liberaliter impertit. Olim ad accessum divini Numinis pavitans, ac retrocedens populus exclamabat, *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Exod. 20. Tunc, propioribus Dei præsentis afflatibus populi recreati, ut spiritalem vitam hauriant, dilatant ultro pectoris angustias, & sacros illapsus excipiunt. Denique ut uno verbo complectar omnia, olim post mirabilem illam Omnipotentis Dei ad populum tuum venientis manifestationem, non legimus illos aut immutatis voluntatibus, aut moribus emendatis, aut abjuratis erroribus ad meliorem frugem se se recepisse. Tunc, post exceptum præcordijs suis divinum Spiritum, Apostoli in alios penitus mutati homines nihil pristinae infirmitatis retinent, &, quem clam atque in tenebris vix aude-

bant

bant profiteri, eundem palam atque omnium in oculis confitentur, ac prædicant, *Loquebantur Apòstoli*, inquit idem Lucas, *cum fiducia verbum Dei*. Act. 4.

Ex ijs tam novis tamque stupendis impertientis se ac communicantis sancti Spiritus miraculis, intelligite, Adòlescentes, quanti sit ejusdem gratiæ fieri participem, & ad ejusdem beneficentiæ communionem aspirare posse. Neque enim existimate delapsum in terras fuisse divinum Spiritum, suum ut in Apostolos solos amorem tam multis, tamque illustribus monumentis declararet, Et nos pariter respicit DEI Omnipotentis munificentia, neque miterrimus rerum nostrarum status ullam divinæ liberalitati moram afferet. Imò, hæc ipsa, quam lugere satè non possumus, animæ nostræ conditio suscitare spes nostras debet, &, quò videtur esse deplorata magis, eò vehementius singularis illius beneficii desiderium debet accendere. Erant Apostoli, antequam divini Spiritus illapsum exciperent, ignavi, imbecilles, multis erroribus, gravibusque peccatis obnoxij: Spiritus sanctus suo illos adventu mirabiliter immutavit. Hoc primum. Ignavos nos, quotquot sumus, & imbecilles magis, pluribus, gravioribusque erroribus ac peccatis laborantes novo Spiritus sanctus miraculo, si volumus, immutabit. Hoc alterum. Utrumque, quantam apud nos tam singularis gratiæ fiduciam, quam vehemens ejusdem desiderium debeat suscitare, breviter demonstramus.

I. P A R S.

Quales putatis extitisse duodecim illos homines, qui per universas mundi plagas Christianæ fidei vexillum crexerunt, antequam ipsos Spiritus sancti gratia roborasset? Juvat, juvat in eorum infirmitatem inquirere diligentius; ut, dum mirabilem,

lem, quæ deinceps intercessit, morum conversionem suspiciemus, incredibilem divini Spiritûs potentiam pariter admiremur. Eruditi ad unum omnes ab ipso Christo veritatis Evangelicæ præceptionibus ac documentis audierant centies, quàm fragilis esset rerum terrenarum natura, comparatio quàm difficilis, quàm brevis & plena sollicitudine fruitio, jactura quàm gravis & amara. At tam parùm profecerant sub tanti Magistri disciplinâ: ut divitiarum fulgore etiamnum perstringerentur, dignitates ambirent, honores aucuparentur, & de prærogativo inter singulos jure, magnâ animorum contentione disputarent.

Hinc patuit filiorum Zebedæi ambitio, cùm illis instigantibus deprecatura Mater ad Christum accessit, ut amborum alter ad dexteram, alter ad sinistram in cœlesti regno considerent. Hinc ridicula, quam moverunt invicem, pridie quàm è vitâ Dominus excederet, controversia, quis ex omnibus primas ferret. Hinc apud eundem Christum, cùm ille è tumulo surrexisset, instare pertinaces, & crebris, molestisque interrogatiunculis curiosius perscrutari, num tandem illuxisset felix ille dies, quo se vindicaturum in pristinam dignitatem regnum Israëliticum promiserat. Frustrâ Christus admonuerat eos sæpius, *Regnum suum non esse de hoc mundo*, Joan. 18. alias esse ac longè dispares in eo leges ab ijs, quæ apud terrenos Principes observarentur: primas in illo regno fore eorum partes, qui se infra cæteros abjecissent. His atque alijs oraculis cùm errores suos minimè dedocerentur, cùm nullam cœlestis doctrinæ partem caperent, cùm indociles usque ac rebelles arcanis gratiæ motibus offenderentur, cùm præstigiis atque illecebris inanibus miserum in modum capti ac delusi persistenter; tum demum fatigatus ac victus discipulorum suorum cæcitate ac pertinaciâ divinus ille Magister,
discu

discutiendas eorum tenebras, emolliendam duritiam, pravitatem emendandam Spiritui sancto reservabat. *Baptizabimini Spiritu sancto*, inquebat, *non post multos hos dies*; Act. 11. quod dum Christus diceret, quid aliud volebat intelligi, subjicit Gregorius, nisi *Baptizabo vos igne, ut, absumptâ omni cupiditate regni terreni, fortes sitis ad contemptum mundi.*

Jam verò ad illam cæcitatem, pravitatémque mentis quanta imbecillitas animi accedebat! Agite quàm timidi, quàm vecordes, quàm ignavi erant, quotquot laborum suorum comites ac socios Christus assumpserat! Ecce fortissimus omnium ac generosissimus Petrus, qui paratum se mori cum amantissimo Domino tam confidenter jactitârat, unjus mulierculæ voce conterritus pavet, fremit, datæ fidei obliviscitur, Christum abnegat, ejurat, execratur. Ecce reliqui fortiores nihilo, aut Petro constantiores turpiter deficiunt, abscedunt, latitant, occultantur. Ecce emerso tandem è sepulchri tenebris Domino, & exhibente se ipsis videndum ac palpandum, nec oculis credunt; nec contrectantibus manibus fidem habent, nec auditis tam sæpe sacrarum Literarum testimonijs confirmantur. Mox post ipsos dies quadraginta, quibus Christus versatus cum ipsis est, & explanatis singulis Scripturarum locis, liquidò demonstravit, nihil contigisse sibi, aut toto vitæ cursu, aut mortis tempore, quod non fuisset multò antè divinis oraculis prænucciatum, exprobrare tamen ipsis vel tum cogitur, *incrédulitatem & duritiam cordis.* Denique assumpto ad dexteram Dei Omnipotentis Christo Domino, tot excitati prodigijs, tot confirmati miraculis domi se continent Judæorum metu; & quem suis ipsi oculis superâsse cælorum orbis conspexerant, de eodem confiteri quidquam non sustinent! Hic erat nimirum, bone JESU, tot documento-

mento.

mentorū fructus, hæc laborum merces, hoc impensī toties amoris emolumentum, ut invidos, recordes, ingratos discipulos experirere.

Quāquam nihil miremur: hoc ipse Christus præviderat, ipsisque adeo Discipulis prædixerat eventurum; cum missurum se ad eos polliceretur Spiritum veritatis, qui rudes atque imperitas mentes erudiret; Spiritum Justitiæ, qui revocaret errantes; Spiritum roboris, qui nutantes & imbecillos confirmaret. Verum enimvero quā stupenda rerum omnium conversio se objicit, postquam sacros divini Spiritus illapsus excepere! Video eosdem illos viros tam rudes, tam imperitos, depulsis prioris ignorantie tenebris, aperire sensum Scripturarum, occulta quæque pervidere mysteria, genus omne linguarum, quas nunquam didicerant, adhibere. Video piscatorem impositum, nullis tinctum literis, nullā præditum sermonis elegantiam, aut verborum concinnitate, primo statim aditu persuadere tribus hominum millibus, quæ sentiret, mox alio die millibus quinque. Video concilium omne meticulousorum hominum prodire in lucem confidenter, & quæ de Christo noverant, palam prædicare! Equis autem horum tam validus ac potens effector, tam prodigus largitor, ut talia posse homines dederit? *Hæc omnia, scilicet, operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* 1. Cor. 12. Idem auctor, idem dator, idque voluntate suâ, non alterius arbitrio, aut imperio: *prout vult*, inquit Chrysostomus, *non prout subetur*, ut liberalitatis sit divinæ, non necessitatis, aut fortunæ, aut humani obsequij.

Quæ porro in omnibus, & in singulis confidentia! quanta in parandis miraculis auctoritas! quā efficax in pellendis morbis, in fugandis Læmonibus, in vincendis, superandisque naturæ viribus potestas elucet! Quæ magnitudo animi ac firmitas
circum

circum fora Magistratum duci, & ad iudicium rapi-
 tari tribunalia nullo pallore! Virgas, fustes, la-
 pidationes pati nullo gemitu! redire domum omni-
 bus contumelijs affectos, & lætari eâ re, quia con-
 tumelijs omnibus affecti sunt, idque ipsum summo
 honori ducere, singulare beneficium interpretari!
 Quæ inductio voluntatis, aut immittere se medios
 in ignes, aut subire ollas ferventis olei, aut tradere
 se suffigendos cruci & necandos suspendio, incre-
 dibili cum animi lætitiâ & voluptate, quæ in ipsum
 corpus redundet! Hinc homines illi sunt, quos ad
 ipsum venientis hostis aspectum aufugisse, ad unam
 ancillulæ vocem concidisse metu vidimus? Unde
 ergo tantum fortitudinis & constantiæ in humanâ
 mente tam parum invictâ malis? unde tantum gau-
 dij ex crucibus ac tormentis, à quibus paucos ante
 dies tantopere abhorrebant? Sanctus nimirum Spi-
 ritus rem gerebat cum ipsis, neque cruciatus illis,
 aut mortem objiciebat horribilem ac pertimescen-
 dam, ut natura fert, utque vulgò credimus; sed
 multis nominibus amabilem atque expetendam.
 O vim divini Spiritûs admirabilem! ô stupendam
 neque prædicandam satis mutationem voluntatum!
 ô præsidium quocumque pretio redimendum!

II. P A R S.

Hanc verò Spiritûs sancti vim incredibilem, &
 infusum ex alto robur quàm ardentibus votis
 ambire par est unumquemque vestrum, Adole-
 scentes; nisi fortè ignoratis vosmetipsos, & in
 deplorandâ rerum vestrarum conditione, hic etiam
 miseriæ cumulus accessit, ut vestra vos mala minimè
 commoveant! Agite enim; scrutamini penitiores
 animæ vestræ latebras, implicatiores cordis vestri
 sinus excutite. Putatis nihil hinc esse, quod illapsus
 divini Spiritûs emundet, ac corrigat? Nihil videtur
 vobis sordidum, quod abluat? nihil aridum, quod
 irri-

irriget? nihil frigidum, quod incendat? nihil faucium, quod sanet? nihil rigidum, quod inflectat? nihil infirmum, quod roboret? nihil devium, quod dirigat? Repetat unusquisque vestrum spatium præteriti temporis, & attentè secum ipsè reputet, quàm multa, quàm gravia salutis impedimenta, quàm incitatas ad vitium propensiones, quàm arduas & vix superabiles ad exercendam virtutem difficultates experiatur!

Age tu, qui videris tibi securus præter modum, futurique minimè providus, parùmne timoris affert isthæc animi levitas atque inconstantia, quæ tam funestas in te varietates habet? Nunc virtutis custos ac patronus apertas vitiorum monstris inimicitias indicis; modò vitiorum delinitus illecebris virtutem turpiter abjicis & ejuras. Jam salutis studio reliqua censes esse posthabenda; mox, conversis in pejus studijs, animam esse tibi, quam serves, vix ac ne vix quidem cogitas. Hodie insolito quodam fretus robore nullis Christianæ vitæ asperitatibus deterres; cras levissimas difficultatum umbras expavescis. Has inter virtutis ac vitij, torporis ac vigilantia, fortitudinis atque ignavia vicissitudines, quæ tua potest esse fiducia, Adolescens infelix? an quia sortitus animam bonam vehementiores ad pravitatem motus non sentis? an quia bene monentis & increpantis ad vocem Dei nondum penitus obduruisti? an quia vel inter ipsam liberioris vitæ licentiam suborta identidem bonæ frugis desideria experiris? an demùm quia tam facile erigeris, quàm facile cecidisti? At nescis hunc fore tandem levitatis illius tuæ miserabilem exitum, ut stimulis etiam acrioribus conscientia tua sensim induret, neque te deinceps inconstantia pœniteat tuæ; nisi ut funestam in flagitiis constantiam æmuleris? Cujus porro est efficere, ut in eâ, quam jurasti Deo toties, fide perseveres, nisi divini Spiritûs, qui Discipulos Domini

E

per

per varios erroris, inconstantiae, infidelitatisque fluctus jactatos ad eam denique immutabilitatem transtulit, unde nullis vexationum procellis dejici, ac disturbari potuerunt?

Tu verò, si quis es tamen ejusmodi, quem effrenata cupiditas, & contracta per frequentes lapsus consuetudo mala, per tot flagitiorum sordes miserum in modum abripuit; non ignoras, quanto verberis tuæ salutis in periculo, nisi pestem illam, quæ te infecit jam totum, penitus extinxeris. Tamen quàm parum feliciter elaborasti ad hunc usque diem, ut extirpares malum illud, & pristinam animæ tuæ integritatem restitueres! Ingemuisti quidem nonnunquam, cum recurrentibus diebus illis, quibus in conspectu supremæ Majestatis exhiberi te mundum oportebat, inquinatam conscientiae tuæ faciem intuerere: incusasti temetipsum, qui luctuosum illum in statum devenisses, nec ipsis etiam percussisti lacrymis: quæ ipem melioris vitæ deinceps afferrent. Hoc ipsum quoties visus es polliceri; cum projectus Sacerdotis ad pedes recentes adhuc cruentasque animæ plagas sanandas objiceres? Interim, dum periculi, quod incurreres, admonebâre; dum tristissimus inveterati habitûs finis atque exitus repræsentabatur; dum incutiebat juvenili animo terribilis & nequaquam evitanda divinæ justitiæ severitas; ut constanter profitebâre venisse demum diem illum, quo fatales consuetudinis prævæ, cui servieras, nexus dissolveres! Verùm heu! prò dolor! ut effusus labor omnis! ut oblitus tui postmodum! ut concepta pugnandi alacriter adversus tuæ integritatis hostem desideria statim evanescere! vix effluxit dierum illorum solennitas, per quos te receperas tantisper ad bonam frugem; vix elapsum benè Paschale tempus, quo, expiatis prioris vitæ flagitiis, non videbaris eadem rursus admittitur; cum, renascente denuò ac reviviscente cupi-

cupiditate, nec declinare prudenter blandientem hostem, nec fortiter sustinere adversantem potuisti! Ah! si confirmatus fuisses cœlesti Spiritûs sancti robore, quod illapsum Apostolorum cordibus, tam fortes ipsos præstitit, & contra quascumque cupiditatum vires aut illecebras infruxit; quantum & tu quoque adversum exitiosam animi tui labem præsidium experireris!


Tu quem malus & imbellis timor, humanarumque rationum momenta ad ea plerumque flagitia pepulerunt, à quibus insitâ animo verecundiâ abhorrebas; qui deprehensus inter irreligiosos ac vitæ dissolutioris adolescentulos erubescis, nisi tam irreligiosus, quàm ipsi sunt, tam dissolutus videâre; qui ne displiceas socio improbo, aut apud eum morosus nimis ac tetricus audias, Dei incurere odium, & inverecundi minûsque piû adolescentis subire famam non vereris; dic, amabo, nôsti, quàm misera sit illa servitus, cujus te iugo mancipas? quàm exitiosus tibi futurus sit intempestivus ille pudor, cum semel ex isto strictioris disciplinæ domicilio in apertum ac patentem liberioris vitæ campum progressus tot habebis nonnunquam pietatis hostes, quot socios; tot voluptatis amatores, quot amicos; tot libidinum hortatores, quot domesticos? Quòd si periculi magnitudinem intelligis, unde tandem pares infirmitati tuæ remedium, nisi ab eâ pleniore gratiâ, quàm tibi, si volueris, hodie Spiritus sanctus impertiet? Cogita, quæso, quales dixerimus fuisse Apostolos, antequam Spiritum sanctum accepissent, quàm timidos, quàm socordes, quàm ignavos; post verò quàm audaces, quàm strenuos, quàm fortes, cum Spiritui sancto aditus in ipsorum corda patuisset? Non stabit nisi per te unum, quin eadem in posterum conditio tua futura sit.

Tu singularem ab ipsa infantia divina benignitatis providentiam experimus; quem Deus pura sceleris & esuperam macula praesinit ad hunc usque diem; cui sanctioris vitae desiderium jam pridem iniecit; in mentem saepe uberiori lumine illustravit praeiter, & accensus particulatim fore tuam salutem liberatorem vivendi formam, quam impensis ambis, & vobis omnibus affectas. Sentiam non temel, quoniam parum habiturus sis in medio vitiorum praerata potius a ferebris pravitate morum praesidi. Natus es indolem facilem deflecti ac ceream, minus patientem laboris & propensam plus a quo ad voluptatem; ac licet specialibus divinae gratiae donis praeverius illesam ab omni labe innocentiam tibi gratulamini possis; non ignoras tamen delitescere quaedam in te male corruptelae semina, quae, si pravae consuetudinis alitu foveantur, aut irrigentur illecebrosis deliciarum torrentibus, in infelices omni ramos & teterrimos fructus excrecent. Interim vides aperiri tibi securum vitae tramitem, quem ingressus per varia vitae hujus discrimina inoffenso pede ad beatam immortalitatem tuam pergeres. At te viarum angustiae, locorum asperitates, difficultatum metus deterrent, aut forte pinguior hereditas, quae te respicit, & spes ambiosa sortis cupidum lacum, ac vocantem Deum sequaris. O si, divinae Spiritus, splendidioribus lucis tuae radijs Adolescentis hujus menti affulisses! O si ferventioribus charitatis tuae ardoribus illius pectus succendisses! Ut illi, qui sibi fingit, difficultatum umbram statim evanescerent! ut levia nulliusque ponderis viderentur, quae cumque gravissimos metus jam faciunt, disciplinae severioris inhiat! Ut sordescere inciperet, qui focum nunc facit, & juniores perstringit oculos fortunae micantis apparatus! ut abruptis viriliter, quae morantur ipsam impedimentis quibuslibet, totum se divino obsequio in omni vitae tempore manciparet.

Deique

Denique, Adolescentes charissimi, nemo vestrum est, si modò diligenter attenderit, qui vel infirmitas ab ortu ipso, vel inductas consuetudinis pravitate cupiditates malas non sentiat, vel multa ab ipsis rerum exterarum imaginibus incitamenta peccandi, difficillimos ad exercendam virtutem obices non patiatur. His atque alijs incommodis unus mederi potest divinus Spiritus, qui, si mentibus vestris fuerit illapsus; si totos tibi vos habeat; si vires & animos, quos solet, addiderit: cum oneri plerisque sit virtus, rectè facta odio, fuerint tamen, ne dubitate, adventu præsentiaque ipsius, ex amarum dulcia, ex gravibus levia, ex arduis & operosis facilia & expedita omnia.

Optemus igitur totis animis impertiri nobis celestem hunc & divinum Spiritum; invitemus eum ardentissimis precibus; prodeamus obviam venienti; & quandoquidem ipsi propositum certumque est optimè de nobis mereri, quando illius dona nos spectant, ad nosque pertinent, quando studio lubentissimi, prolixoque omnem nobis suam auctoritatem, gratiam, copias, opes defert; ita nos pari affectu, & propensione mutuâ voluntatis agnoscamus dantis animum, excipiamus hospitio venerabundi, summâ cum benevolentia, summo cum honore deducamus, foveamus acceptum, & reverenter atque honorificè tractemus. Obiitemur supplices, ut accessu suo in corda nostra affectiones omnes malas corrigat, sordes abluat, duritiem emolliat, ac suum ipse domicilium sanctificet. Postulemus denique, ut pretiosum illud pignus, quo par est modo, ætitemus, ut eo præsentem ac propitium utamur, ejus fruamur muneribus, ac nunquam tam singulari beneficio abutamur.



IN FESTO
CORPORIS CHRISTI.

ORATIO VI.

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat; Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini. I. Cor, cap. II.

Quod est illud præcepti genus, quod Apostolus gentium fidelibus imperit; aut quibus continetur finibus periclitandi sui necessitas, antequam ad sumendum Christi corpus ac sanguinem quis accedat? An percepistis unquam satis, Adolescentes Christiani, quanta vis esset legis illius, quæ jubet unumquemque probare semetipsum? an sensitis quanti sit ad salutem animæ in faciendo ejusmodi periculo diligenter esse versatum? Ecce multis jam abhinc annis plerique omnes divinæ mensæ accumbitis; intaurastis sæpe cœlestes epulas, & vivifico pane ac sanguine refecti estis. Verùm itane præparatis animis sacrum illud gustastis convivium, ut contemptæ legis hujus infractæque nemo reus existeret? *Probet autem seipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat?* Nam quia bona pars hominum probationis genus istud aut ignorat, aut negligit, quàm multos quotidie videre est, quibus hoc Sacramentum ad fovendam animæ vitam, sanandâsque ejusdem ægritudines institutum, non
ad

ad salutem aut levamen morbi proficit, sed ad irritandam mali acerbitatem, funestamque perniciem inferendam.

Cui incommodo ut eamus obviam, excutiamus primum, Adolescentes, quid aspirantibus nobis ad sacrum Dominici corporis epulum injungat Paulus: id ipsum verò quàm præstare sedulò oporteat, deinde expendamus. Quod utrumque si persuadere vobis possim, felicem me profectò, qui voti compos effectus, tristissimum, quod incuriis ac negligentibus imminet, exitium vestris à cervicibus averterim!

I. P A R S.

ERgo quid voluit Paulus, quid intendit, quid designat potissimum, cum præcipit, *Probet autem seipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat?* Numquid hoc innuebat tacitus, in cogitandâ frequenter ac sedulò hujus mysterij dignitate, diligentem illi ponendam esse operam, qui suscipiendum suis præcordijs Christum Dominum præsumeret. Hæc enim est, opinor, vis illius admonitionis, quam impertit Paulus, quasi apertius diceret; O tu, qui præparas in corde tuo divinæ Majestati habitaculum, attende seridò quanta sit dignitas illius hospitis, quem ambis; disce cujus tandem fabricæ debeat esse domicilium, in quo habitet Deus, quem cælum ipsum non capit. Hoc tibi persuadeas, propioribus, ut par est, divinæ fidei illustratus radijs, ad eum te vocari honoris apicem, ut unam rem deinceps cum Christo efficias, neque alius ab eo videâre? hoc enim est, quod promissit ipse conceptis verbis, *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Joan. 6. Hinc intelliges meliùs, quàm severum facere te rerum tuarum examen oporteat; quàm accuratus esse debeas in perlustrandis penitioris animæ partibus,

in detergendis scelerum omnium purgamentis, quàm rigidus in recidendis, extirpandisque cupiditatum malarum fibris, ne quid adhaereat fortè residuum, quod verendi numinis praesentia non ferat, quod laedere possit purissimos ipsius oculos, quod inficiat, ac maculet carnem Christi sacratissimam, quam permisceri jam jam cum tuâ necesse sit; atque, ut sic loquar, confundi. Quod nisi praestiteris, nisi vim contentionemque mentis omnem ad mundandum cordis tui habitaculum adhibueris, nisi vulgarem inter ac spiritalem escam praevium maturumque judicium feceris; vide, ne periculum incurras, ut innocentiam cum scelere, puritatem cum sordibus, Christum cum Dæmone, novo prorsus & inaudito communionis vinculo consocies; ne domicilij cujusdam amenissimi loco, quod sibi ad habitandum Deus elegerat, funestum erigas in corde tuo tribunal, unde irrevocabilem mortis sententiam rigidus spreti corporis sui vindex in te pronunciet. *Qui enim manducat, & bibit indignè, inquit Paulus, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. I. Cor. II.*

Hic verò utinam nativis adumbrare coloribus possim sacrilegae Communionis imaginem, & tam fœdam sceleris illius speciem altissimis vestrum omnium cordibus insculpere, ut certum hinc adversus morum corruptelam, cui vestra hæc ætas erit imposterum obnoxia, praesidium habeatis. Tu mihi pares suffice vires, ô Deus, tu meis adde verbis robur ac pondus, quo percussæ teneræ adhuc Adolescentum mentes, quos in disciplinam meam regendos ac moderandos tradidisti, ita se contra labem ejusmodi præmuniant; ut jam nunc satiùs mori arbitrentur, quàm tale flagitium unquam perpetrare.

Nam quale portentum illud foret, amabo vos, Adolescentes charissimi, si quis lethalis peccat;

con-

conscijs in suum pectus Christum admittat? an cognitam probè sceleris hujus gravitatem hætenus habuistis? Expendite mecum hodie diligentius totum illud, quantum quantum est, & ad execrandi facinoris acerbiam perhorrescite. Quid enim agis, Adolescens Christiane, si quis esses tamen tam perditus, quid agis, inquam, dum mortalis noxæ conscius ad sacram mensam accedis? Nihil hæc moror, quàm nefariæ proditionis artifex incedas, qui contempti pollutiq; Christi sanguinis reus, cum expurgare conscientiam debuisses, os pestilens & immundum castis epulis paras ostentare. Mitto impios simulatæ mentis dolos, dum invidiâ, odio, lasciviâ plenus, frontem nihilominus oculos, vultum, ad pudorem, ad modestiam, ad pietatem fingis & erudis; dum confertam inter piorum Adolescentum turbam, quasi delapsus aliquis è Cælo Genius, impudenter te offers, & omnium in te ora atque admirationes convertis. Sileo proterviam temeritatem atque audaciam, dum purissimis immaculati agni nuptijs contaminatus sordidatusque totus non vereris assistere. Levia sunt ista, & rudis quidam flagitij majoris apparatus. Verùm cum in genua supplex procidis; cum te propinas ore blando, cum linguam porrigis, cum vivificam hostiam intra pectoris infecti angustias demittis, quod sceleris genus, infelix, quàm novum sacrilegij portentum designas? Tu Deum tuum honoris gratiâ scilicet in illud deducis hospitium, ubi nihil est, quod hospiti amantissimo displicere non debeat? tu medias illum inter cloacas ac fordes collocas; tu cum hoste nequissimo Christum socias ac componis; tu afficiendum injuriâ, contumeliâ provocandum, lacessendum opprobriis objectas; tu convertis in venenum, & in perniciem, quod in escam fuerat & salutem institutum; tu suavissimo tenerrimi amoris argumento in ruinam abuteris. Christo referas tu

quidem atque aperis cordis tui penetralia ; at quo tandem consilio ? quo fine ? nempe ut admissum semel illadas , conculces , crucifigas , & morte crudelissimâ condemnes ? Hoc enim detestabili parricidio scelerata communio concluditur , testante Apostolo eodémque exprobrante. *Rursum crucifigentes sibi metipsis Filium Dei , & ostentui habentes.* Hebr. 6.

Verùm enimverò quam demum sceleris sui pœnam expectet , qui hanc facere Christo injuriam non dubitaverit ? Accipite , Adolescentes , & faxit Deus , ut nemo vestrùm funestissima divinæ ultionis vestigia unquam in se deprehendat ! Hoc est sacrilegæ Communionis fatum ineluctabile , ut cæcitate mentis & cordis duritiam semper importet : quo quid tristius & deplorandum magis ? Neque verò necesse est reconditis aliquod accersere justitiæ exemplum tam severæ , cùm notissimum in persona Judæ ac pervulgatum habeamus. Quamdiu temperavit ille à Communione sacrilegâ , nunquam potuit adduci , ut , quod destinârat animo detestabile parricidium exequeretur ; adeò sceleris ipsius atrocitas , impensi toties amoris recordatio , amantissimi Domini benignitas , aspirantis & à scelere dehortantis gratiæ vis etiam festinantem ad flagitium retardabant ! Verùm ubi porrectam Christi manibus impuro pectore Eucharistiam absorbit , ecce surgit statim à cœnâ , consilium ut peragat ; adit Sacerdotum Principes , proditiōnis pretium pecuniam accipit , adest ipse cohortis impuræ signifer mitissimum Dominum pacis osculo traditurus , Nihil jam eum pungit , aut moratur vel proditiōnis atrocitas , vel amica Christi exprobratio , vel prostrata ejusdem voce & retro corruentia perduellium agmina. Ruit præceps per omne nefas furentis in morem , nec admissum credit sceleris satis , qui amantissimum Dominum inimicorum suorum in
manus

manus tradiderit, nisi supremum calamitatis suæ cumulum adjiciat, & de misericordiâ divinâ desperet. Sic Christus illatam primùm suo corpori contumeliam ultus est ad cautionem, terrorémque cæterorum, qui verendi mysterij religionem polluere deinceps præsumerent. Neque enim existimate Christum mitiùs agere cum eis, qui exemplum Judæ secuti Sacramentum Eucharistiæ turpissimâ conscientiam commaculant, quia neque tam apertam, neque tam illustrem vindictam exercet. Nam si repeteretur origo pravitatis illius, quæ Christianorum mores hodie dedecorat, in promptu sit intelligere, tam exitialem corruptelam non potuisse, nisi justam violatâ per sacrilegos usus divinæ Eucharistiæ in pœnam contingere.

Quare neque verear finistrum quidpiam, & ominosum malè suspicari de vobis, Adolescentes, si in hac ætate vestrâ, quam vel ab ipsâ sceleris umbra esse decet alienam; quæ defæcata vulgò est ab omni sordium contagio, dum indoli suæ permittitur; cui virgineus quidam candor ac pudor mirè convenit; quæ virtuti induendæ nata factaque videri possit; quam propterea Christus, dum viveret, singulari habuit in pretio; quam adamâsse visus est plurimùm, & cæteris ætatibus imitandam proponere: si in hac, inquam, ætate inveniretur vestrum aliquis minùs instructus ab ijs virtutibus, quæ adesse in adolescente liberaliter educato debent; si quis non ita religiosus ac pius; si remissus in officio, si petulans in verbis, in colloquijs dissolutus, in omni parte vitæ corruptior ac depravator existeret: ad hæc si sectator aleæ, voluptatis percupidus, fastidiosus pietatis osor ac religionis audiret; si exulâsse ab eo pudor omnis & Sacrorum reverentia viderentur; si indocilem se, ferreum, intractabilem exhiberet; an non ætatis tam teneræ depravatio tanta illatæ Christo contumeliæ, &

contra

contaminati sacrilegâ Communione augustissimi Sacramenti reum argueret : Sic est, Adolescentes Christiani, quisquis flagitium ejusmodi admisisset vel semel, dignus ille profectò, quem Deus turpissimis quibusque vitiorum monstris permitteret !

Videte ergo, quanta vobis incumbat deinceps necessitas, sic excutiendi, expurgandique conscientiam vestram, nihil ut ab ejusmodi periculo metuendum habeatis. Verùm si immunem ab omni labe eum esse oportet, qui cœlestem vivificumque panem comedere ambierit ; unum est tamen inter cœtera peccati genus, à quo tantò diligentius sibi quisque cavendum existimet, quantò alienum est magis ab illius puritate, atque innocentia, qui se vobis inter sacro-sancta mysteria gustandum imperit. Peccatum illud dico, Adolescentes, quod ne nominari quidem Apostolus patitur, cujus tamen ab inficetâ peste aetatem vestram tueri integram non licet, nisi præsentissimo Dei præsidio muniatur ; quod veneni cujusdam instar subtilissimi insinuat se sensim minimè advertentibus, & penitissimas animæ partes depascitur. Peccatum illud intelligo, cujus luctuosum, deplorandumque fatum est, ut nativum aetatis vestræ candorem omnem obscuret, dignitatem deterat, innocentiam labefactet, & turpissimam carni vestræ inurat maculam, quæ purissimi Christi Corporis gloriam in dedecus, in opprobrium vertat.

Igitur ad declinandum sedulò istud peccati genus tota Christianæ vigilantia vis se se exstimulet : habeatur ille capitalis hostis, quicum pax nulla, sed atrox, sed novum bellum semper exurgat : nullus sit veniæ, nullus indulgentiæ locus, sed maetetur immisericorditer, ubicumque deprehensus occurrerit. Procul exulet ab oculis, procul à mente, procul à colloquijs, & dissimulatus quantumvis aut amicitia specie, aut urbanitatis larvâ, aut com-
mercij

mercij elegantioris habitu personatus incedat ,
 apertas juratasque inimicitias experiatur.

En quò pertinet Apostoli præceptum , Adole-
 scentes , dum admonet unumquémque tam sedulò ,
Probet autem semetipsum homo , Et sic de Pane illo edat ,
Et de Calice bibat. Verùm quid putem , aut quid
 existinem de vobis ? Nemo vestrùm est , quem
 fortè conscientia sua remordeat , fuisse in hac parte
 minùs accuratum ac sedulum : nullus est , qui tam
 necessariae probationis incuriâ periculum adjerit
 aliquando , contaminandi sacri illius mysterij San-
 ctitatem ? Num quis fortè reperiretur , in tantâ
 probatorum Juvenum multitudine , qui renovato
 Judæ flagitio Christum in impuro pectore excepisset ?
 Absit hic à me sensus , Adolescentes ; Absit , ut tam alie-
 nâ à vobis suspitioni adhærisse videar . Scio quantum
 præsidij adversus ejusmodi corruptelam apud inge-
 nuos ac liberales animos habuerint felix ac pia
 institutio , quam nacti estis , ac insita teneris adhuc
 recentibus cordibus religionis , pietatisque semina ,
 frequens Sacramentorum usus , quotidiana virtu-
 tum exempla , salubres moderatorum adhortatio-
 nes , & alia ejusdem generis tam multa , quæ
 nemini vestrùm defuerunt unquam , & ventræ ad
 hunc usque diem integritati mirificè consuluerunt .

Quare hoc mihi superest unum , quod orem
 vos , atque obtestor inprimis , Adolecentes charissi-
 mi , ut tanti mysterij dignitatem præviâ ac seriâ me-
 ditatione recolatis ; ut defigatis aliùs vestris ani-
 mis , nihil accidere vobis unquam posse funestius ,
 quàm si sacratissimo Christi Corpore ac Sanguine ,
 abui perperam vel semel contigerit ; ut sedulâ in
 declinandis periculis prudentiâ tam grande malum
 à vestris cervicibus avertatis ; ut immortales agatis
 omnipotenti Deo gratias , qui vos ab hujus contagio-
 ne sceleris expertes hactenus esse voluerit ; ut quo
 pri-

primùm die Christus s̄ vobis in potum pariter ac cibum impertiet, tenerrimos inter liquidissimæ pietatis sensus, unusquisque vestrùm cum Regio Vate in has voces erumpat. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Psal. 115. Nam quod demum pacto exhibeam tibi gratum ac memorem animum, ô Deus, qui me, vel à puero, complexus tam amanter per tot adolescentiæ scopulos illa sum & incolumem deduxeris. Si videor mihi mundus ab ea corruptionis labe, quæ juvenum pleròsque omnes inficit; si nihil vel vitiatum in moribus, vel in tota consuetudine depravatam objiciat verè quis mihi; imò si propensum ad virtutem, si tuendæ innocentiae cupidum, si placendi tibi desiderio incensum me experior, totum hoc tibi debeo, quodcumque est, ô Deus: Tu mihi hos tentus, hos animos solus affasti, per te unum sum assecutus, ne desiperem cum multis, ne errore malo devius à justitiæ tuæ semitis deflecterem. *Quid ergo retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Ecce! quod facere me jubes, ultrò faciam, ô Deus; *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Ps. 115. Calicem, inquam, illum sumam benedictionis ac salutis, qui juventutem meam renovet: gustabo vinum illud, quod germinat virgines, & electorum frumento me saturabo: inebriabor ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis me potabo; tum Deo plenus ac saginatus invocabo nomen tuum; non ut quidquam mihi petam caducum ac fragile: non ut divitias futiles, vitæ commoda, aut honores perituros ambiam; non ut peracto feliciter hujus Lycæi stadio, fiam unus eorum aliquis, quos vulgus hominum monstrat digito & beatos appellat; nam cur optem aut precer, quæ noceant fortè magis quam profint; sed invocabo nomen tuum, ô Deus, ut spiritum mihi rectum &

COR

cor docile benignus impertias ; ut perpetuum sanctissimi nominis tui timorem pariter , & amorem largiaris ; ut eam sacri hujus mysterij reverentiam animo inspires , quæ me in omne vitæ tempus ab indigno corporis tui & sanguinis usu securum , & immunem præstet.

Quòd si me olim tui , tuorumque beneficiorum immemorem , vel exempli vis prava , vel æstus malæ consuetudinis , vel molles voluptatum illecebræ à fidei proposito , sanctisque officiorum legibus deflecterent ; si meritis plectendus viderer pœnis ; iras exere pro arbitrio ingratum in caput ; percute nocentem , ut videbitur ; quidquid dolorum ac molestiarum est , in rebellem , in proditorem effunde ; vitam ipsam adime , si voles , & spes fluentis ad votum ævi lætissimas rescinde , nihil moror , nihil abnuo ; nihil deprecor ; amplectar ultrò & osculabor sævientem manum , & ærumnas inter gravissimas prædicare bonitatis tuæ magnitudinem non cessabo. At unum hoc vindictæ genus deprecari liceat supplicio quocumque gravius ; noli vel flagitiorum in pœnam permittere , ut execrandi sacrilegij reus augustum tui Corporis Sacramentum unquam violem. Fac me potius impensè revereri magnificum illud liberalitatis tuæ munus , acceptum fovere ac tueri fideliter , eodem utiliter perfrui ad cœlestem gloriam ,
cujus pignus est , aliquando prome-
rendam.



DE



DE PIETATE

Erga

BEATAM VIRGINEM.

ORATIO VII.

Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Sap. 13.

Magnam esse apud Deum Virginis Deiparæ auctoritatem ac gratiam, & ita magnam, ut major esse nulla possit; tantam esse vim illius patrocini in re salutis potissimum, ut quibus voluerit, ijs facilem beatæ immortalitatis aditum recludat; denique sic affectam illam esse in unumquemque nostrum, ut opiulari nobis delicias reputet suas; nemo est, Adolescentes Christiani, qui non fateatur, nisi fuerit ille B. Virginis obreçtator malevolus, aut ipsius gloriæ invidus æmulator. Quantam enimverò oportet esse illius potentiam, quæ Omnipotentis Dei filia amantissima nuncupatur? quales esse debent ejusdem in promovendo salutis humanæ negotio partes, quæ salutis ipsius auctorem ac pretium purissimo sinu complexa sit? Uno verbo quis tenerrimos charitatis sensus requirat in eâ, quam divini Spiritûs, hoc est castissimi amoris Sponsam agnoscat. Quis ergo designatam hîc fuisse divinæ vocis oraculo B. Virginem inficietur; quam qui invenerit semel, & fideli obsequio demeruerit, certam obtinendæ ab ipso Domino salutis

salutis fiduciam habeat. *Qui me invenerit, inveniet
viam & hauriet salutem à Domino.*

Nunc age; quibus tandem gradibus ad optatum
illud sacræ Virginis patrocinium pervenire quis po-
test: quo pretio certum illud salutis æternæ pignus
redimatur: quas ipsa Virgo Deipara in ijs adesse vult
doles, quos suorum in numero, & tanquam in albo
recenseat. Nam quid diffimulem inveniri permul-
tos, qui Mariæ præsidio ac gratiâ, tam frustra, quàm
temerè gloriantur: qui Clientis ac Filij Deiparæ
appellationem usurpant, quid ipsa valeat, ignorant:
qui ad eam, quam suis Virgo pollicetur, aspirant
mercedem, cuius nullam omnino partem conse-
quentur. Idipsum hodie mihi propositum velim,
Adolescentes, ut exponam vobis breviter; qualem
esse eum oporteat, qui Mariæ servus ac filius revera
sit, eoque nomine jus ad ipsius patrocinium ac cli-
entelam habeat.

Tribus omnino rebus se prodit Deiparæ Vir-
ginis obsequium. Peculiari quadam atque externâ
pij ac religiosi cultûs significatione: hoc primum.
Integritate morum ac vitæ sanctimoniâ, hoc Alte-
rum. Denique ardentissimo cultûs ejusdem uen-
di ac promovendi studio, hoc Tertium. Atque hæc
tria sunt, in quibus fidem obligant suam, quotquot
Sociales B. Virginis nuncupantur, dum profiterentur,
palam & aperte: *nunquam se Mariam derelicturos
neque contra illam quidpiam dicturos aut facturos, ne-
que permissuros, ut à suis subditis aliquid contra ipsius
honorem unquam agatur.* Dicamus de singulis,
quantum patientur temporis angustia, antequam
ad commendandum Mariæ ejusdem patrocinium
veniamus.

I. P A R S.

Ac primò quidem, quam putatis illam esse pij
religiosique cultûs, ad quem Mariæ cientes erudi-
F unius

untur significationem, aut quibus demum officijs continetur: Illa perfringo paucis, Adolescentes, ac delibo tantum. Accedere frequenter ac piè ad sacram divinorum mysteriorum communionem, usq; diebus potissimum, quibus aliqua Mariæ festivitas recurrit: exercere identidem in ipsius honorem jejunium, aut aliquam aliam afflictationis corporeæ partem ultrò susceptam: invisere pauperum & agrotantium domos; opem ferre laborantibus: excitare jacentes, recreare perditos, afflictos consolari. Desraudare genium aliquâ pecuniæ parte, quam miserorum in solatium ac salutem impendas: implorare assiduis precibus præsentissimū B. Virginis præsidium, frequentem esse in celebrandis ipsius laudibus; crebros de eadem ipsiusque virtutibus miscere sermones, excitare se se invicem ad ipsius honorem quâcumque ratione promovendum: habere certum quoddam ac fixum precum quotidianarum pensum, quod persolvas illi fideliter; ac religioni ducere, si quam earum partem negligentia prætermiseris: gestare signum aliquod sive tesseram, quæ perpetuò revocet memoriam illius fidei, quam Mariæ juraveris. Quid multa? adesse diligenter & assiduè illis cœtibus, qui ad celebrandas ipsius laudes congregantur; largiri libenter aliquid de suo ad ipsius ædium, vel imaginum ornatum ac decorem. Parco commemorare alia piæ mentis ac sedulæ voluntatis officia, in quibus aut excogitandis, aut perficiendis ingeniosus semper invenitur, quisquis Deiparam sincerè veneratur ac colit.

In his porro rebus externus Mariæ cultus positus est, & qui se Virginis obsequio mancipant, in iisdem exercendis strenuos esse ac sedulos oportet. Nam cavete sedulò à perniciosis illorum opinionibus, qui persuadere vobis aliquando præsumerent, istum pietatis externæ apparatus ferendum quidem esse in junioribus, quorum ætas imbellis ac tenera

fomentis ejusmodi stimulisque egeat; at aliud in viris solida magis virtutis specimen requiri: colendam esse animo Virginem, non inanibus ac superstitiosis plerumque obsequiis, quibus illa facile caruerit, si modo sinceris suis in Clientibus virtutum suarum imitatores sibi gratuletur.

Quem enim alium injere Novatores agendi morem, cum veteres piorum operum usus ab orbe Christiano rejicerent? Nam quò pertinet, inquietabant, cultus ille tam varius, tam multiplex: quid sibi volunt revocatae postliminio tot inuiles ceremoniæ, ubi Fides una ad salutem sufficit? Equidem non inficior, quàm propè nullo ponendus sit in loco ille Virginis beatæ cultus, qui nihil præter meram phaleratæ pietatis ostentationem præ se ferret. Scio requiri imprimis affectum animi & cupidam placendi voluntatem, quæ morum innocentiam, & sedulam virtutum ejusdem Virginis æmulatione se probat. Verùm nemo pariter, nisi temerè, negaverit affectum illum animi, & devotam ad obsequendum voluntatem, quæ certi quidam homines tantopere gloriantur, esse quid fictitium penitus, nisi prodeat foras & in opus erumpat. Ac quemadmodum Jacobus testatur emortuam esse fidem illam, quæ operibus bonis destituta sit, ita fateri necesse est, inanem esse ac vacuum Mariæ cultum, qui nullâ piorum actuum exercitatione sustentetur.

Sed quid in re tam apertâ diutius immoramur, præsertim ubi ipsa loquitur Ecclesia, & se facti auctorem ac ducem exhibet: Agite; an illa Virginis in cultu otiosa est, aut nos seignēs esse atque inertes patitur. Enumeret enim verò, si quis potest, quot & quàm varijs religionibus ad ornandam, venerandamque Deiparam Ecclesia veri, reliquæ arbitra Christiano populo facem prætulit. Cedo partem aliquam totâ Virginis in vita, quam singulari solennitate non consignavit. Cogitâ ab ipsius Conceptu

F a

pa

purissimo ad triumphales ejusdem in cœlum ingressus, quàm multas prædicandis Mariæ laudibus festiuitates instituerit. Attende singulas per hebdomadas præfixum Ecclesiæ auctoritate ac designatum diem unum, qui Virginis nomen ac præconium præferret. Adde mirabilem piæ, bonæque matris providentiam, quæ, ne tempus ullum à persolvendis Deiparæ meritis honoribus vacuum præteriret, ter in die salutandæ illius ac invocandæ voluit nos admoneri. Quid etiam innumeras Precationes ab eadem Ecclesia aut informatas aut approbatas, quibus in angustis rebus, in ærumnis, in laboribus, in quotidianis vitæ, salutisque periculis Deiparæ præsidium, opem, patrociniûmque posceremus; quid Officium divinum loquar, ipsum sacro sanctæ Missæ sacrificium communibus Christi, ejusque Matris laudibus plenum ac refertum? Quid referam Regna, Provincias, Urbes, Collegia, Societates, quæ peculiari augustæ Virginis clientelâ gloriantur? Quid erecta in ejus honorem templa? Uno verbo, percurrite universas orbis Christiani plagas, si fortè colitur uspiam Christi nomen, ubi nomen Mariæ, & magna apud Filium ipsius gratia ignoretur. Nihil hic dictum ambitiosius, Adolescentes, & ad B. Virginis commendationem magnificentius exaggeratum: nihil non exactum ad severas Ecclesiæ leges: illa certissima credendi, agendique regula est, quam declinare nemini liceat. State porro tam firmis, tamque solidis fundamentis, neque vos ulla rationum humanarum momenta à deferendo Mariæ debito cultu deterreant.

Alterum est obsequij genus, quod à suis Clientibus B. Virgo sibi vindicat, integritatem morum dico, & innocentiam vitæ; sine quâ nemo gratum præstare servitium confidat. Nam quantum illi spe falluntur suâ, qui externi cultûs in umbra tuti, corruptelæ vitiorum interim indulgent, neque abuti
dubi-

dubitant Mariæ nomine ad peccandum tranquillius, & suam in tuendis flagitijs perversitatem confirmandam. Tu scilicet ultrò feras tuis in Clientibus, Virgo sanctissima, quod ab indole tua, quod à tuis moribus alienissimum semper fuit? Tu superbi hominum preces ac vota patiens audias, quæ tam abjectè sensisti de teipsâ, ut ancillam Domini te diceres, dum ejusdem mater salutabâre? Tu profectas ab ore maledico laudes excipias, quæ benignitatis ac mansuetudinis exemplum, dum viveres, extitisti? Tu corrupti Juvenis & libidinum fordibus inquinati munus quodlibet habeas acceptum, quæ tam impensè castimoniam coluisti; ut vel ad aspectum viri expavesceres? ut audito divino maternitatis nuncio pudori metuens animo turbareris? ut abnueres fieri Dei mater, si quod inde virginitati tuæ detrimentum ingrueret?

Ah! discite Mariam nosse meliùs, Parthenici cultores, quos solutioris vitæ licentia reos coarguit: hoc inducite in vestros animos, nullo ponendum in loco studiosæ quantumlibet mentis obsequium, quod criminum labes & cordis depravati corruptelâ inficiat. Nam quis vulgo fructus est ordinati tam malè cultûs, nisi ut Hæreticis pariter atque impiis, pietatis in B. Virginem cavillandæ occasionem præbeat. Vetus est Novatorum hæc querela, aut iniqua potiùs objurgatio, haberi Mariam à nobis tanquam Numen, quæ Numini ipsi nec dignitate, nec potentiâ cedat: nostram in ejus patrocinio ita collocari fiduciam, ut carere Christo quis possit, nec tanti putet Filium hostem experiri, qui parentis in benevolentia conquiescat. Jam si perniciosus error ille serperet, & inveniret fidem, qui certum adpromittit pravè quantumvis ac nequiter viventibus præsidium, modò levioribus officijs ad Virginis gratiam adrepant, quantum pondus adderet ad fovendam impiorum hominum in suâ perversitate

perinaciam? Nam quis tam perditè malus est, aut salutis tam inimicus suæ, qui tranquillam in vita licentiore pacem aliquo precationum penso, aut fragilibus alterius generis officijs ultrò non redimat; qui hâc mercede compendiosam ac facilem sub clientelâ Virginis tibi munire viam dubitet? Hâc spe freti dum vivere turpiter non desinunt pietatis veræ illusores, qualem homini tuo labem, Virgo sanctissima, quantum patrocinio tuo dedecus accersunt!

Verùm quod illi vicissim cultûs inconsulti aut potius contemptæ religionis præmium referent? Etenim in extremo illo & decretorio die, quo sedebit Christus boni, mali que arbiter, & universi orbis iudicium facturus; tunc infortunati homines, qui se medios inter reprobos delaptos fuisse sentient, convertis ad Mariam oculis ac precibus exclamabunt cum impijs, de quibus apud Isaïam mentio est. *Jejunavimus, ô Virgo, & non aspexisti: humiliavimus animas nostras, & nescisti.* Isa. 58. Quid ergo nobis profuit jurare nomen in tuum, & inter Clientes tuos nomen ambire? quid juvat quotidianas preces tam sedulò, tam religiosè tibi perfolvisse? quò recidit gloriosa Parthenici sodalis appellatio, quam circumtulimus ad pompam, tuorumque hostium æmulationem, si nullum miseris in rebus benevolentia tuæ, tuique patrocinii fructum percipimus? Inutiles querelæ & supervacanea comploratio, quam Christi Mater eodem pacto illudet, quo Deum impiorum observationes ac jejunia legitimus illuisse. Numquid, reponet illa, tale est jejunium, quod elegi, infelix, quisquis hunc mihi phalerati cultûs apparatus ambitiosè jactitas? hocce decuit pietatem in me tuam & observantiam contineri, dum effrenatis cupiditatibus impune frena laxabas. ah si placere voluisses, & me benevolam, & amicam experiri, debueras emendare mores ante
omnia,

omnia, & vitæ integritatem æmulari. Nam quid mihi cum insolente superbâ, cum indole efferâ, & intractabili, quæ tot accendit odia, tot procreavit inimicitias, tam insuperabiles fraternæ charitatis moras objecit? quid mihi cum illo concupiscentiæ fomite, quem non modò non restinxisti prudenter, ut decebat, subtrahendo pabulum ac fomentum, sed inflammâsti magis, ac magis; dum molles voluptatis illecebras sectabâre, dum liberioribus colloquijs indulgebas, dum pascebas oculos obscenis imaginibus, dum perniciosas societates, nequiorum adolescentum cœtus frequentabas, dum inertî languebas in otio, & laboris impatiens omne studiorum genus, quasi crudiores cibos nauseabas? quid mihi cum amore ludi, cum assiduis commestrationibus, cum violatione Sacrorum, cum Sacramentorum abusu, cum vita ex omni parte depravatâ? His mederi oportuit, si haberi te filiorum in numero, si me parentis loco habere libuisset. Tunc enim verò, Adolescens Christiane, propitiâ tibi Mariam sensisses. *In vocabis, & exaudiet; clamabis, & d. cet., ecce adsum.* Igitur externam piî cultûs significationem cum inſocentia morum consociet, quisquis Mariam ex animo colere, & certum in ipsa præsidium voluerit experiri.

Tertium est devoti in Virginem Deiparam animi specimen, cultum ipsius & gloriam tueri viriliter, & quocumque modo etiam promovere. Neque verò testandi sui in eam studij frequens, ut vivitur, occasio defuerit. Est enim hoc Mariæ, uti Religionis ipsius fatum, ut nemo extiterit Sacrorum hostis, qui non apertas illi inimicitias declarârit. Imò quoties petitus est Christus per Mariam, toties ad labefactandam filij gloriam, de parentis auctoritate ac gratiâ certatum est. Vide ergo qui te Clientem Virginis profiteris, ut ad tuendum ipsius honorem comparatus accedas, si quando adversarij in-

furgent. Atque utinam tam multi quotidie non offenderentur! Mitto hic appellare Novatores, quorum ingenium, ut ad abolendos germanæ pietatis sensus omnes est natum, ita ab exhibendo Mariæ cultu semper abhorruit. At inter vos ipsos, in medio juventutis illius, cujus consortio utimini, ut occurrunt sæpe, qui nec auspicijs orti tam felicibus, nec tam liberalibus culti institutis, aut virtutis ignorant pretium, aut eandem nunquam experti despiciunt. Quàm primum est ab ijs jactari multa, quæ pietas non ferat, quæ bonis moribus non congruant, quæ vestrum in Virginem sanctam studium, assiduitatem, obsequia, aut elevent, aut cavillentur. In ijs rerum adjunctis qualem decet eum esse, qui solemne Deiparæ sacramentum dicere se meminerit? cui res ejusdem, cultus & gloria cordi sint? An fileat ignavo correptus metu? an ferat impune grassari effrenem licentiam, si coercere illam pro sua auctoritate possit? an saltem testari parcat quoquo pacto, quantum sibi displiceat, quidquid religionis in probrum & Deiparæ dedecus circumfertur?

Verùm Mariæ Clienti videri fati non debet illasum Virginis honorem præstitisse, nisi eundem pro virili parte promoveat. Id verò quàm potestis commodè, Adolescentes, si vos Dominæ vestræ ac Patronæ amantissimæ gloria excitulet! Nam quid in mora est, quominus vestris inter socios colloquijs colendæ Virginis & amandæ studium inspiciatis? cur expertes & ignari utilitatis ac commodi, quod liberalis ejusdem famulatus parit, per nos non erudiantur, quanta sit ipsius apud Deum auctoritas ac gratia; quàm multa veris amantibus bona largiatur; quàm certum sit in ipsius patrocinio præsidium; quàm dulcem in extremo rerum limine præciosæ mortis fiduciam afferat. Cur intra penates domesticos, ubi, qui vobis & familiæ vestræ servitium præ-

præstant, rudes vulgò sunt & imperiti rerum æternarum, non inveniunt in vobis Doctores ac Magistros, quorum verbo & exemplo discant Mariam toto corde venerari, & in ipsa spem æternæ salutis alteram post Deum collocare. Nolite dubitare, Adolescentes, quin parentes vestri tam piæ æmulationi suffragarentur, & novos ex studio vestro pietatis stimulos ipsi persentiscerent.

Hæc sunt, Adolescentes, quibus B. Virginis cultus ac veneratio continentur, hæc sunt, quæ Virgo sanctissima suis à Clientibus in fidei & obsequij specimen reposcit. At quam vicissim veri Mariæ Clientes cultûs sui mercedem expectent; quam spem ipsa fidelis obsequii faciat, altera Orationis parte videamus.

II. P A R S.

Agite, qui strenuam ac diligentem in colenda Virgine sanctissima operam ponitis, agite, inquam, & spes hodie vestras ducite. Agnoscite quid vobis à potentissima domina, quid ab amantissima matre expectandum sit; si tamen in eo, quod vovistis illi obsequio, in eo quem jurastis toties amore, fideles ac constantes sitis.

At quoniam beneficia, quæ nobis à beata Virgine derivantur, tam multa sunt numero, ut de singulis dicere Oratione brevissimâ non liceat: illud habeo factis in præsentia attingere, quod momenti inter cætera maximi est, & quod omnium initar merito potest nuncupari. Singulare nimirum intelligo istud auxiliij genus, quod in re salutis sibi jure polliceatur, quisquis verè & ex animo Mariam colit & observat. Quare non persequar hic operosius, Adolescentes, quanta & quàm multa extent ab omnivævo illius, quo Clientes suos prosequitur, amoris monumenta: non dicam, ut eos filiorum in numero computet, ut continuò præseates oculis

habeat, ut foveat in sinu, ut omnia maternæ charitatis munia in singulos exercent. Non retexam hic longam eorum seriem, qui liberalem ac munificam ipsius manum sensere; qui præsentem apud ipsam difficillimis in rebus opem, singulare varijs in periculis præsidium, certum adversus carnis illecebras, & dæmonis insidias perfugium habuerunt. Non eriam è veteribus sacrorum Annalium monumentis famosa cultu Mariæ tot nomina, Irenæos, Cyrillos, Epiphianos, Damascenos, Anselmos, Bernardos aliósque numero infinitos, tantò illustrioribus cumulatos donis ac gratijs, quantò ardentiore in Virginem studio exarserunt.

Vestrum ipsorum iudicium, vestra existimatio sit, Adolescentes. Nam liceat mihi ad vestram conscientiam provocare: este mihi testes singularis illius providentiæ, quæ Dei Mater suorum commodis ac salutem invigilat. Vos imprimis interrogo, qui Mariam teneris ab annis in Dominam, in Patronam, in Matrem elegistis; qui constantes in obeundis seduli Clientis partibus nihil de pristino fervore remisistis. Narrate, si potestis, quàm uberes veterum officiorum fructus perceperitis. Agite, an frustra sollicitastis unquam tam piæ parentis nomen? an angustis in rebus, in periculis, in laboribus opem ipsius & amicam manum dederastis? an in tuenda præsertim ætatis vestræ innocentiam inertem & otiosam ejus vigilantiam experti estis? Ah! si varia inter discrimina, quibus juvenus obnoxia est, illibatum hæcenus integritatis vestræ florem conservastis; si vix enatam cupiditatis malæ labem compressistis in ortu ipso, atque extinxistis; si pudori vestro insidiantem spiritum nequam tam prudenter quàm fortiter repulistis; si peccati scditas vobis horrorem incutit, si virtutis amabilitas placet; si nondum pervasit vestros animos, aut etiam per-

tentavit

tentavit illecebrosa mundi corruptela; imò si declinanda illius gratiâ vestrâ aliqui perenne cum ipsa divorcium meditentur; an dubitabis tot conciliatricem gratiarum, tam piarum cogitationum auctorem Mariam agnoscere?

Sed quid hæc moror salutis vel præludia, vel adiumenta, quæ suis affatim & plenâ, ut sic loquar, manu Dei Mater impertit: Salutem ipsam quàm certò procuret; quàm securum per tramitem ad felicem salutis æternæ portum Clientes perducatur; uno verbo, quàm verè Sapientis ore pronuntiet: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino* Sap. 12. operæ pretium est demonstrare.

Una est ad salutem æternam via Mors Sanctorum, quam pretiosam in conspectu Domini regius Vates Psal. 125. pronunciat, propterea quod sola felicem ad beatam immortalitatem aditum recludit. Neque enim homini Christiano satis est, contritam virtutum omnium exercitatione vitam vivere, nisi tan faustis inijs par exitus respondeat. Scilicet, inquit Tertullianus, *In Christianis non queruntur inijs, sed finis.* Huc ergo tota mentis nostræ contentio feratur, necesse est; hæc debet esse laborum nostrorum meta; ad hoc nascimur, spiramus, vivimus, ut Sanctorum obire mortem aliquando contingat. Verùm quàm expetenda mors ejusmodi, tam arduum est quiddam ac difficile illius fieri competentem; ubi sacra veritatis oracula conceptis verbis admonent, non esse cujusquam in facultate positum perseverantiæ finalis gratiam promereri. Hoc pretiosum amoris sui pignus Deus pro jure suo largitur ad arbitrium; &, quod perditissimis peccatoribus aliquando non abnuat, id ipsum iustis quidem, sed impervijs humanæ menti judicijs vitæ probatæ viris non semper impertit.

Hinc

Hinc porrò quis tam mundus ab inquinamentis scelerum, quis tam nihil sibi conscius, qui perpetuo non vivat in metu, incertus an amore, an dignus odio, cum erit moriendum, inveniendus sit? Tamen nolite despondere animum, imò spes inde vestras discite, vos ó, quos Virgo sanctissima suam in fidem ac clientelam recepit. Intelligite, quàm non frustra sponsonis & devotionis vestræ in gratiam postuletis à Maria, ut vos in hora mortis non deserat. Is enim Beatæ Virgini præcipuus incumbit labor; hanc sibi provinciam vindicat; huc illius preces, vota, obsecrationes pertinent, ut, quos Clientes habet & amicos, ij justorum morte moriantur. Quin & ipse Christus indulgens Matri, dum obicurum penitus & absconditum voluit esse divinæ prædestinationis mysterium, nobis in Maria dedit, unde spem salutis certam quodammodo haberemus. Atque ut mortalium animos ad reverentiam & amorem parentis optimæ magis ac magis accenderet, constituit illam tanquam Dominam & arbitram supræmæ illius gratiæ, quæ tam arctam cum salute ipsâ necessitudinem habet.

Verùm ne temerè dictum illud à nobis, aut saltem magnificè plus æquo ad B. Virginis commendationem videatur; consulamus in re tanti momenti fidam divini Spiritûs interpretem Ecclesiam, & quid super eâ re credendum sit, ab illa perdiscamus. Hæc illa est, Adolescentes, cujus admoniti oraculis ita Mariam compellamus. *Sancta Maria Mater DEI, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ.* Ecquid illam putatis à Filio precari jam jam morituris, nisi perseverantiæ gratiam, quam semel nobis si precabitur, an consentaneum est vereri, ne Maria repulsam ferat? Has etiam sibi servavit, si Ecclesiæ testimonio credimus, Virgo beata partes, ut Clientes suos, cum ad extremam rerum lineam pervenerint, à Dæmonis

nis infidijs præstet incolumes. Sic enim Ecclesia canit beatam Virginem alloquens, *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege.* Terribilem fanè, & suprâ quàm dici potest homini præsertim moribundo metuendum hostem! Tamen quid vel infrendens in eum valeat, quem tuendum ac protegendum Maria susceperit? Verùm quàm dulce est & plenum solatio, quod Ecclesia Virginem interpellans confidenter adjicit, *Et horâ mortis suscipe.* Erit igitur tui, ô Virgo sanctissima, muneris, ut defunctos hujus vitæ casibus tuas in manus excipias. Felicem ô nimis conditionem nostram, si tam piæ parentis in manus venerimus! Nam quæ vis nos avellat inde? quis hostium furor tam immanis, qui medijs è Mariæ complexibus nos eripiat? Quamquam sit instar omnium, per melicet, ad incitamentum fiduciæ, ad amoris incrementum illa deprecatio, quâ singulas divini Officij partes Ecclesia complectitur, ac terminat. *Et JESUM, benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria! Scilicet, si nec falli, nec fallere Ecclesia potest, per Mariam dabitur nobis ex hoc peregrinationis loco decedentibus, ut Christo JESU, benedicto virginalis ipsius uteri fructu perfruamur. Ecquid, amabo vos, Adolescentes, dici poterat, vel ad excitandas spes nostras potentius, vel ad confirmandam contra mortis accessum fiduciam nostram optatius?

Nihil ego jam mirer, si tam luculentis Ecclesiæ testimonijs freti tot sancti Patres, tot que Doctores sapientissimi sic extulerint B. Virginis potentiam, nihil ut accedere ad eam posse videatur. Nam quid ego proferam nubem illam testium, qui Ecclesiam ducem secuti tam præclarè, tam magnificè Virginis beatæ patrociniû commendârunt. Hi gratias quascunque, quæ hominum in genus derivantur,

com-

communicari per Mariam affirmant. Isti eâdem exorante indulgeri peccatorum veniam accuratè defendunt. Illi palàm & apertè pronunciant, sic in eâ positam esse spem salutis, ut ejusdem cultus via sit, quam ingredi unumquemque oporteat. Alij profitentur nihil esse desperandum, quidquid per invocationem ipsius petieris. Alij negant ullâ temporum memoriâ quemquam Mariæ servum perjisse. Ita loquuntur Bernardus, Anselmus, Chrysothomus, Augustinus, qui non tam suo, quàm Ecclesiæ Spiritu afflati, hanc inter cæteras Mariæ prærogativam tribuerunt, ut in re salutis jus quasi supremum exerceret. Eisdem & nos eruditi confirmatîque oraculis certam, indubitatamque spem habeamus, id affore nobis in Maria præsidium, quod in extremo vitæ discrimine constitutos recreet ac consoletur.

Sic erit, ô Virgo sanctissima, cùm venerit ille dies ultimus, qui vitæ finem imponet; in his temporum ac difficultatum angustijs, te piam, te clementem, te propitiam experiar. Cùm derelictus à meis, desertus à parentibus, destitutus rebus omnibus neminem habebō, cujus fidem & opem implorem, tu mihi rerum omnium loco non deeris. Cùm deficient unâ cum corpore vires animæ, & iners languor totum obruet; tu præter adversus infirmitatem remedium, & invictum contra languorem robur sufficies. Si me præteritorum recordatio delictorum deprimat nimium, & affligat, tu jacentem eriges, & afflictum consolaberis. Si videbor impar hostium conatibus, qui salutis meæ insidias comparabunt; tu cælestia suppedita-bis arma, quibus eorum furor retundatur. Si me propinquæ aternitatis metus exanimet; tu novam addes fiduciam, & impertiendæ mox misericordiæ conscientiam sustentabis. Tu denique roborabis fidem,

dem, spem incendes, charitatem inflammabis, ut tuis ad extremum usque spiritum beneficijs recreatus in ipsa sanctissimi tui nominis invocatione emoriar.

Erit aliquis vestrum Adolescentes, quem redditi Deiparæ obsequij pœniteat? qui se magis ac magis ad eandem colendam, & amandam non exstimulet? qui felicissimos inter vitæ suæ dies illum non ponat, quo se B. Virginis fidei ac clientelæ tempus in omne consecravit. Felicem enimverò, fortunatumque diem, qui tot gratiarum fons uberrimus extitit, & in novos deinceps rivos, dum veniat extremus dies, erumpet. In spem igitur tanti tamque singularis boni renovemus ex toto corde, quod B. Virgini diximus jam toties, perpetuæ servitutis ac fidei sacramentum. Ecce præibo vobis ultrò ac volens, vos dicentem animis prosequimini.

Sancta Maria Mater DEI & Virgo, Noste in Dominam, Patronam & Matrem eligimus. Dominare nostri tu, Virgo sanctissima, quibus nihil tam dulce ac decorum est, quam fidele in omne vitæ tempus tibi obsequium præstare. Et quando Matrem te dici non gravaris, habe nos, quotquot sumus, filiorum in numero, & da, ne quid indignum tam honorificâ appellatione admitamus. Verùm quia nemo nostrum ignorat, nihil tam displicere tibi in ijs, qui tuâ fide ac clientelâ gloriantur, quam pravitatem morum ac corruptelam, hoc providebimus præter cætera, labes ut nulla nostris moribus adhærescat. Nihil erit lascivum in verbis, nihil in factis inverecundum, nihil in affectibus aut cogitationibus ipsis immundum patiemur. Neque hoc satis Virgo sanctissima, sed studium in ea re nostrum versabitur, ut quos habemus in potestate, ij parem, tibi honorem & amorem imperiant.

Ob.

Obsecramus te igitur, ac petimus, per illa misericordiæ viscera, quæ ad ipsas nequissimorum peccatorum preces commoveri solent, ut, quod devovemus tibi obsequium, gratum, acceptumque habeas, nosque in fideles, sinceros, constantesque servos admittas. Noli permittere, Virgo sanctissima, nos ut dies ulla datæ fidei immemores arguat. Amove diligenter à nobis plenas periculis occasiones, contra quas stare probatissima innocentia non sufficit. Accerse nobis ab uberrimis, inexhaustisque divinæ misericordiæ fontibus illa præsidia, quibus freti nihil ab insanis vanitatis ambitiosæ fulgoribus, nihil ab humanarum rationum momentis, nihil ab illecebrosis voluptatum lenocinijs timendum habeamus.

Verùm hoc à te postulamus imprimis, ut, cum ad ultimam vitæ nostræ metam pervenerimus, in his tristissimis temporum casibus uberius auxilium impertias. Ac si fortè vel morborum aculei, vel propinquæ mortis horror, vel divinorum iudiciorum metus tui invocandi nominis facultatem adimant, memento tunc, qualem te futuram esse in fideles servos ac filios promiseris; protege nos sub umbra alarum tuarum; ut illæsi per te, & incolumes æternùm prædicemus, nemini, qui Mariam coluerit, & amaverit, in extremo die malè unquam fuisse.





DE NECESSITATE
PROMOVENDÆ
SALUTIS ÆTERNÆ.

O R A T I O VIII.

*Quid prodest homini, si mundum universum
lucretur, anima verò sua detrimentum
patiatur; aut quam dabit homo commu-
tationem pro anima sua? Mat. 16.*

Dicturus apud vos hodie de promovendo ante
omnia salutis æternæ negotio, unde momen-
tum gravius mutuandum putem, Adolescen-
tes Christiani, quàm ab ijs Christi vocibus, quas
ad increpandam hominum incuriam, & stimulan-
dam in re tanti ponderis cautionem ac diligentiam
adhibuit? Nam si, affirmante Christo Domino,
vel ipsum totius orbis imperium nullam, cum de sa-
lute æternâ agitur, afferre moram debet; si nullo
redimendam pretio jacturam animæ conitanter pro-
fitetur, quid erit deinceps in hac rerum universitate
tam expetendum, quod salutis ejusdem negotium
debilitare, aut retardare possit. Atque utinam al-
tissimis uniuscuiusq; vestrum animis defigere liceat
capitalem illam Christianæ doctrinæ partem, quæ
cæterarum omnium fundamentum est! cujus intel-
ligendæ sedulo & ad ejusdem normam ac regulam
exigendæ vitæ tanta est necessitas, ut qui illam vel
capere, vel sequi neglexerit, hujus desperanda sa-
lus videatur; quam si semel guttaveritis, ut par est,
atque

atque imbiberitis, fortunæ vestræ, cælestes dico, & æternæ in tuto sunt, cujus assequendæ vel negligentia, vel contemptu, bona pars hominum in perniciem sempiternam corrui; quam quia nemo recogitat, inquit Jeremias, *desolatione terra desolata est. Jer. 2.* Hæc illa doctrina est, quâ discurrens olim Christus per regiones, per urbes, per castella auditorum aures atque animos personabat. Hæc illa doctrina est, quæ tam multis existit, & existit hodièque ad spernendas, quas offert mundus, illecebras incitamentum; quæ Eremito ac solitudinibus tot incolas, religiosi domibus tot habitatores subministrat. Hæc illa doctrina est, quam ego Principum in aulâ, militum in castris, Magistratum in concilio, mercatorum in tabernis, artificum in officina, in plateis, in vicis, in publicis domibus ac privatis, in uniuscujusque conclavi ac musæo ita descriptam vellem, ut omnium oculis, multò magis mentibus perpetuò obversaretur. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur; aut quam dabit homo mutationem pro animâ suâ?*

Attendite igitur, Adolescentes, & fundatam in laudatis jam à me Christi verbis salutis promovendæ necessitatem animadvertite. Atque ut hoc ipsum æternæ veritatis oraculum tam clarum ex se se, penitiùs intelligatis, hæc duo mecum, unde geminum oritur Orationis hodiernæ caput, diligenter considerate. Tale est salutis vestræ negotium, ut si malè processerit, cæteris rebus ex animi sententiâ fluentibus, actum de vobis atque conclamatum omnino sit: hoc priore quidem loco excutiam: Tale est salutis vestræ negotium, ut si ceciderit semel feliciter, desperatis penitus accisisque reliquis rebus, fortunæ vestræ in tuto sint; hoc posteriore loco, quantum patientur temporis angustia, demonstrabo.

I. PARS.

I. P A R S.

Ac primò quidem nihil immorandum putem in stabiliendis, confirmandisve illis fidei nostræ capitibus, quæ vel alterius vitæ ab ea, quam ducimus, expectationem, vel propositam singulis pro meritum ratione, aut pœnam, aut mercedem æternam, vel ineluctabilem denique severissimi iudicij subeundi necessitatem spectant. Apud eos Adolescentes loquor, qui prima isthæc Christianæ Religionis rudimenta veluti cum ipso lacte suxerunt. Quare factis habebò ponere vobis ante oculos unumquemque hominum; quorum memoria pervenit ad nos illustrior, &, quod in confectandis, perfruendisque, quas potissimum adamârunt, rebus commodum ad salutem æternam perceperunt, ita perscrutari, ut exemplum inde, quod ex usu vobis sit, statuatis.

Agite verò, Adolescentes Christiani, inquiremus diligentius in vetera præteritorum temporum monumenta, rerum gestarum historias, annalesque curiosius evolvamus. Video florentissimos rerum omnium copiâ non Principes modò, sed privatæ conditionis homines, qui extructis in altum divitijs numerosissimos exercitus, Provincias etiam întegras alere potuissent. Video Juvenem fortissimum, qui partem orbis nobilissimam victorijs potiùs ac triumphis, quàm passibus peragravit; cujus in conspectu, ipsâ Scripturâ sacrâ teste, universa terra siluisse visa est. *1. Mach. 11.* Alium video decertantem de orbis imperio, rerum non ita multò post potentem, in eoque positum gloriæ fastigio, unde aspirare superiùs mortalium votis non liceat. Video novissimum hominem dominantem populorum animis, coërcentem improborum audaciam, armorum vim atque impetus solâ linguæ facundiâ refrenantem. Video probatos, sapientesque om-

nium iudicio viros, quorum quot verba, tot effata, quot responsa, tot oracula reputantur. Neque verò, quod præter cætera mirandum est, illi omnes, quotquot sunt, quibus vita spatijs ac limitibus continetur, eisdem nominis sui memoriam, commendationemque terminarunt. Viget apud nos hodiè que gratissima ipsorum recordatio; pulpita, & exedra ipsorum laudibus quotidie personant, & quæ cæteris rebus injuriam facit temporum vetustas, non modò non imminuit quidquam de ipsorum gloriâ, sed eandem nobilitavit magis ac sacrauit.

Magna sunt illa profectò, Adolescentes Christiani, florere magnâ divitiarum abundantia, numerosis imperitare populis, eruditionis ac sapientia laude parem habere neminem. Magna illa sunt, vivere in hominum memoria, celebrari consequentium ætatum præconijs, nominis sui famam cum tota posteritate coequare; magna sunt, inquam, illa, & tanta, ut gravissimis laboribus, curis, vigilijs, assiduâ animi, corporisque defatigatione, ipso fortunarum omnium capitisque discrimine bene redempta videantur. Tamen quantula illa sunt, quam habenda nullo in pretio, si, qui consecuti sunt hæc omnia, illi viam salutis aut ignorarunt, aut cognitam ingredi neglexerunt.

Sciscitemur enim verò spectatissimos illos viros, quos etsi tacito nomine commendavi, satis, opinor, intellexistis, quos innuerim; sciscitemur, inquam, illos, quid sua illis gloria profuerit, quid etiamnum profit, quam habent apud nos, admiratio? Quid tibi, Cræte, quid Crasse, profuerunt ingentes illi divitiarum cumuli, quarum magnitudinem ac copiam nemo est unquam assecutus? Quid te juvat, Alexander Macedo, quòd tam multas, tam varias, tam diffitas nationes redegeris in potestatem? Quid te, Cai Cæsar, quòd orbis toti imperaris; quem uterque fructum ex eo jam habetis, quòd heroës quique
fortissimi

fortissimi certare vobiscum de animi magnitudine, ac bellicâ virtute ambitionis affectent Tibi verò, Marce Tulli, quid ubertas ingenij, dicendi facundia, Eloquentiæ vis, quam admiramur tantum & extollimus; quid tua tibi, Marce Cato, prudentia, quæ sapientissimis quibusque viris ad imitandum proponitur, solatij jam affert? Responsum date, quotquot extitistis olim, prudentes viri, invicti heroës, omni doctrinarum genere homines spectatissimi; quid superest vobis ex ea gloria, quam habuistis aliquando; quam etiamnum apud hominum memoriam retinuistis?

Silent ad unum omnes, obmutescunt, nullus eorum habet quidquam, quod respondeat! sed ecce pro omnibus ac singulis disertissimè respondet Augustinus, *laudantur ubi non sunt, cruciantur ubi sunt.* Hic egregias, quibus nituerunt illi, dum viverent, corporis, animique dotes laudamus, miramur, extollimus; sed nihil laudum istarum jam ad ipsos pertinet, non moventur ejusmodi præconijs, non afficiuntur rerum suarum commendatione; quia nihil commune jam habent nobiscum; quia excesserunt vivorum de numero; quia æternum facere cum hac vita divortium; *laudantur ubi non sunt.* At apud Inferos, in quibus tot ab hinc annis demersi jacent, dirissimis torquentur, ac macerantur pœnis. Illic suam in resalutis aut ignorantiam, aut negligentiam amarissimis fletibus expiant, & per æternitatem totam expiabunt. *Cruciantur ubi sunt.*

Sed quid dico, non respondent ipsi pro se se? imò audiamus illos è medijs flammarum infernarum incendijs tristissimum vitæ in speciem florentissimæ exitum deplorantes. Proh! quàm verè, si quid divinis oraculis credimus, quàm sine furo loquuntur. *Quid profuit, inquit, nobis superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, aut tanquam avis, qua*

transvolat in aëre, cuius nullum invenitur argumentum itineris. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt, adjicit Spiritus sanctus, quoniam spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur.

Veniamus jam ad vosmetipsos, Adolescentes Christiani, & ex funesto fortunatorum hominum, ut sibi videbantur, sine, quid futurum sit aliquando de vobis, nisi diligentius quàm fecerunt ipsi, de salute vestrà cogitetis, conjiciamus. Quàm multi sunt inter vos, qui vel in hac ætate vestrà magnum aliquod sublimioris fortunæ ædificium meditantur? quàm multi nobilitate generis, opum magnitudine, parentum gratiâ atque auctoritate freti dignitates eximias animo præcipiunt, & aucupantur. Hic in Aula, ille in Militia, iste in Foro, alter in Clero solum sibi quasi designant locum. Cateri, etsi non audent ad ea, quæ sunt sublimiora aspirare; nemo tamen est, qui pro tenuitate sua spes aliquas non foveat, & sin splendidæ minùs & ambitiosæ, saltem commodæ ac tranquillæ vitæ fabricam non moliantur. Interim quotusquisque est, qui de salute æterna seridè, diligentèrque cogitet; qui certam aliquam stabiliendæ illius & in tuto collocandæ rationem ineat; qui rem illam unicè necessariam reliquis omnino rebus anteponendam ducat; Tamen quis dubitet esse plurimos è vobis, qui ad eam, quam pascunt animo, fortem fortunatam nunquam pervenient; qui vel rerum domesticarum perturbatione, vel æmulorum invidiâ, vel suo ipsorum vitio, vel quod proclivius est suspicari, præmaturâ morte prohibebuntur, ne votorum suorum compotes olim fiant.

Nam quid ego fatali non ita paucorum experientiâ id ipsum comprobem, quos ante annos aliquot vidimus intra has ipsas scholæ angustias, ple-
nos

nos expectatione summâ Juvenes, & doluimus non ita multò pòit in medio cursu, aut in ipso etiam ætatis flore fuisse succisos; dum riderent ipsis omnia, dum fortuna blandiretur amicis, dum assurgerent ad majora, & spes ipsi suas superare viderentur. Hunc armorum furor & iniqua Martis alea media in acie, illum orta repente rixa, istum funestus inter commestationes casus, alium partus ex vitâ dissolutiore languor, alium sola properatæ, & inexpectatæ mortis necessitas, notusque uni Deo factorum ordo rapuerunt.

Quoniam igitur eadem plerisque vestrum perniciēs imminet, quam tot alios vobis ætate, splendore nominis, lætissimæ sortis fiduciâ pares subiisse intellexistis; tunc, nisi salutem vestram seriò provideritis, nisi despectis rejectisque reliquis omnibus rebus, rem illam quæ maximi omnium ponderis ac momenti est, quæ homini Christiano una videri debuit, procuraveritis; quid proderit vobis, quid animæ vestræ proderit altissimæ fortunæ posuisse fundamentum, contendisse ad honores amplissimos, & aliquam apud opinionem hominum nominis vestri commendationem promeruisse. Hæcine, amabo, defensionis alicujus, aut excusationis locum invenient apud Deum in horâ mortis objurgantem, & inquirentem; *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patitur.*

Quamquam ne sic refecemus rem ad vivum; agamus tecum liberaliter, Adolescens infortunate, si quis esses, quem fragilis rerum caducarum gloria sic raperet in amorem sui, ut in ijs aliquando perfruendis felicitatem tuam reponendam æstimares. Esto demus hoc tibi; ut ad eum, quem informasti animo, fortunæ apicem tandem pervenias: opta etiam, si voles, aliquid majus ac melius: nullum cupiditati tuæ modum ac finem pone: nihil moror;

hac consequeris, quæcumque optasti: nihil deerit tibi vel divitiarum ad avaritiam, vel dignitatis ad ambitionem, vel deliciarum ad voluptatem plenè, perfectèque satiandam & explendam. Adjiciamus etiam, quod nec postulare, nec sperare audeas, centum annos, quibus integris, sine ullâ corporis animivè ægritudine, sine ullo fortunæ reflantis æstu, sine ulla rerum perturbatione, tuâ illâ tam beatâ, tam florente, tam honorificâ conditione quietè tranquilleque perfruaris. Tamen post elapsam demum tam longam fortunatî temporis seriem, veniet aliquis dies ultimus, qui vitam illam jucundissimam terminabit; vale dicendum erit tandem aliquando divitijs, honoribus, voluptatibus, cæterisque adeo rebus, in quibus spem fiduciâque posueras. In his rerum temporumque articulis, peto à te, infortunate Adolescens, quid proderit tibi contrita mundi hujus illecebris vita? quid juvabunt honorum tituli, & ambitiosius conquistæ dignitates? quid proderunt illæ desiciæ, quas degustaveris ad satietatem; si longâ salutis tuæ oblivione sepultus jacueris, si de paranda animæ tuæ beatitudine non cogitaveris; si continuâ rerum terrenarum solitudine occupatus ad perpetuam honorum cælestium possessionem, mentem animûmque non erexeris? Tunc intelliges, at ferius fortasse, quàm ut ab imminenti periculo servare te incolumem possis; tunc intelliges, inquam, latentem in ijs vocibus veritatem. *Quid prodest homini, si mundum uniserjum lucrerit, anima vero sua detrimentum pariatur.*

Prævertite seriâ ac frequenti meditatione fatalem illam horam, Adolescentes Christiani, neque rem momenti hujus in ulteriorem ætatem rejiciendam putatote. Ecquando enim defigatur altiùs vestris mentibus hujus sententiæ veritas, aut feliciorum fructum pariat, quàm dum recentes adhuc animi bonæ sementis vim omnem ultrò excipiunt, neque

neque ullis vitiorum salebris lætissimas fruges remorantur. Scilicet expectetis tempus illud, quod vobis fortasse nunquam aderit, aut, si dabitur aliquando, nihil admodum profuturum est, nisi ut conditionem vestram deteriore faciat quàm si non adfuisset? Inveniet locum apud vos salutis æternæ cogitatio, & hoc unum curandum ante omnia censebitis? cùm ineluctabilis parandi opes sollicitudo vix alterius studij societatem ac communionem admittet? cùm suis vos laqueis irretitos voluptas tenebit? cùm dominabitur ambitio? cùm promovendæ aliis fortunæ cupiditas sic occupabit totos, quasi nihil expetendum præterea, aut expectandum relinquereur. Fructum pariet olim aliquem vestris in cordibus salubris rerum æternarum meditatio, ubi miserabilis perturbationum tumultus regnabit? ubi pravorum habituum obdurata malignitas nullo cælestium gratiarum influxu mollietur? ubi pullulantes perpetuò malarum cupiditatum fibræ felicem boni seminis, si quod forte incidisset progeniem suo statim in oru suffocabunt?

Nolite, Adolescentes, spem inanem pascere, & inutili confidentiâ seducere vestros animos, qui nisi statim imbiberint istius documenti veritatem, & ad normam ipsius exigere vitam sensim assueverint, frustra futurum polliceri sibi videantur, ut olim in mediâ mundi corruptelâ positi, aut ejusdem sentum capiant, aut, quod difficilius multò sit, componere mores, uti ad salutem æternam oportet, inducantur.

Tamen nisi hoc fiat sedulò ab unoquoque vestrum, nisi provisum vestræ in perpetuum securitati certò fuerit, intellexistis hætenus, quid pro sit non solùm fieri vos votorum omnium compotes, sed orbi etiam universo dominari. Jam verò quàm parvi referat cætera omnia, quæcumque mortalium animis blandiuntur, concidisse penitus, si

modò salutis æternæ negotium feliciter steterit, con-
jiciamus.

II. PARS.


Atque ut multa paucis complectar, quoniam angustia temporis nos premunt; cogitate, Adolescentes Christiani, hominem miserum, infelicem, ærumnosum, qualem nec prior ætas unquam tulit, nec posterior in perpetuum feret. Fingite vobis illum destitutum præsijs omnibus, laborantem rei familiaris inopiâ, nullâ vel parentum, vel amicorum ope sustentatum. Impetatur ille, quantum placet, quibuscumque adversæ fortunæ telis; nihil cogitet, nihil loquatur, nihil agat, nihil molliatur, quod non cedat malam in partem, & in ipsius opprobrium, contumeliam, ac desperationem vertat. Nullum in seipso consolationis inveniat modum, nullum ex sua sagacitate atque perspicacia fructum percipiat; nisi ut conditionis suæ acerbitatem sentiat validiùs, & sortis injurias graviores experiatur. Irruant in eum, omne morborum genus, omnes dolorum aculei, omnes corporis animique ægri- tudines, quæ infortunatum hominem dies noctesque respirare non sinant. Adjicite, si volueritis, equuleos, catastas, rogos, liquati plumbi balnea, enses, carnicinas, & alia id genus supplicia, quæ ingerosus tyrannorum furor ad probandam, torquendamque sanctorum Martyrum constantiam aliàs excogitavit; nullus sit in tam gravibus malis modus, nulla requies, nullum à Deo ipso solatium, qui molestiores ærumnas mitigat, quando vult, & suavissimâ jucunditate perfundit. Annos insuper quamplurimos in hujusmodi tormentis conterendos habeat. Quid esse vel fingi possit homine illo, quem adumbravi, miserius, quid atrocius, quid calamitosum magis? Tamen si per consitam tot sentibus viam pervenire tandem ad beatam immortalitatem possit,
felicem

felicem illum ac fortunatum appellabo. Neque mirum hoc vobis videatur, quia quantæcumque sint illæ, quibus conflictatur, calamitates finem aliquando invenient, & luctuosam ex omni parte vitam æterna felicitas excipiet.

Hinc discipulos suos Christus olim per univ-
sum orbem cum mitteret, & multo ipsorum labore
totiusque effusione sanguinis propagandam Chri-
stianam fidem admoneret, hoc adjicere solebat, ne
fatiscerent ipsorum animi, & rerum difficultate de-
terrerentur. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus,
animam autem non possunt occidere: sed timete eum,
qui potest animam & corpus perdere in gehennam.*

Hoc & ipsi retinete diligenter, Adolescentes
Christiani, si quid durum identidem, si quid aspe-
rum, si quid laboriosum nimis in promovendo
salutis æternæ negotio occurrerit; nam quid diffi-
mulem, aut verear loqui, quod nec prænunciare
ipse non possum, nec vobis integrum est declinare.
Hæc est nimirum fatalis quædam æternæ felicitatis
conditio, ut illam ingredi, Christo teste, nisi per
graves ærumnas non liceat. Idem vobis, Adole-
scentes, quod cæteris hominum, fatum impendet,
si certo ad beatam immortalitatem pede pergere
volueritis. Alios à Dæmonum invidiâ, alios ab il-
lecebrosis mundi præstigijs, alios ab exempli pravi-
tate, alios à vobis ipsis obices invenietis. Verùm in
ista difficultatum mole, si recreare vestros animos,
si novum ad peragendum alacriter inchoatum jam
opus sentire robur placuerit, retractate frequenter
quod profitetur Christus, nihil esse metuendum in
hac vita, dum in altera nobis bene sit. Ita quam-
cumque sortis aleam vobis contingat olim experiri;
neque vos fortunæ aspirantis suavitas illudet, ne-
que resstantis ejusdem calamitas labefactabit, si pa-
ratum usque in hac Christi sententia præsidium ad-
hibueritis. *Quid prodest homini, si mundum univer-*
sum

*sum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur,
aut quanta dabit homo commutationem pro anima sua?*



DE PECCATO LETHALI.

ORATIO IX.

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Rom. 6.

QUOD olim beatæ Catharinæ Genuensi contigisse legimus, ut animam lethalis peccati labe infectam cerneret; id utinam unicuique vestrum, Adolescentes Christiani, attentis ac diligentibus oculis liceret intueri! Nihil ego dicturus hodie de peccato mortali tantopere elaborandum arbitrarer in conquirendis vividioribus pigmentis, quibus fœdissimi illius monstri turpitudinem nativis coloribus adumbrarem. Sic enim mihi persuadeo solâ tristissimæ illius imaginis contemplatione ita percellendos esse vestros animos, nunquam ut inquinari vos illâ peste pateremini. Est enim peccatum lethale quiddam tam difforme, tam horrendum, ut profiteri Virgo sanctissima, quam laudavi modò, non dubitaret, eligendum à se lubentiùs, si daretur optio, vel ad ipsam mundi extinctionem calcare nudis pedibus ardentes prunas, quàm internam animæ peccato inquinatæ faciem iterum sustinere. At quoniam non est hic locus hujusmodi prodigijs, faxit Deus, ut validissima, quæ jam diducere conabor, rationum argumenta idem apud vos momentum habeant. Quæ
dum

dum ipse pro virili parte exequor, quæso vos, diligenter attendite.

Verùm quia dies me deficiat, si singula, quæ concitare peccato invidiam possunt, vel leviter delibare velim, tria tantùm ex omnibus persequar, quæ potiora mihi visa sunt, & majus apud vos pondus habitura confido. Igitur peccati lethalis gravitatem ex ipsa peccati natura primùm, deinde ex eo, quo fertur Deus in peccatum, odio; denique ex pœnis quibus divina iustitia peccatum afficit, æstimemus. Hæc tria pars Orationis triplex complectetur.

I. P A R S.

Ac primùm quidem peccati naturam investigemus. Quid peccatum putatis esse, Aolescentes? quã impressam animo teterimi illius monstri ideam habetis? Nunquam fortasse satis expendistis quàm grandi vos obstrinxeritis piaculo, quoties lethale peccatum admisistis; intelligite nunc demum, quale malum peccatum est, atque utinam cognita mali gravitas vos à peccando deinceps deterreat!

Peccatum omne, atque inprimis peccatum lethale Dei offensa est, Dei injuria est, Dei contumelia est. Quid enim peccatum est, inquit Augustinus, nisi dictum, factum vel concupitur contra legem & voluntatem Dei; Ergo qui peccat, voluntati Dei resistit, imperium ejus detrectat, legem abjicit. Resistere autem legitimæ potestati, Dei supremique Domini imperium detrectare, Legislatoris sui leges contemnere ac refigere, quid hoc dicemus esse, si non summa Dei nostri, nostri Domini ac Legislatoris offensa, injuria, contumelia est? Terreno Principi non obtemperas, jugum excutis, leges, edicta transgredieris; læsæ continuò, violatæ ac contemptæ majestatis reus ageris, de ruderis in carcerem, gravibus supplicijs atque ad eò morte ipsa plecteris. Deus loquitur, audire negligis; jubet, non obsequeris; imperat,

rat, parere abnuis; & te Majestatis divinæ obrectatorem, contemptorem, violatorem inficiabere? An igitur arbitrabimur vel levius exigere Deum à nobis fervitutis, reverentiæ atque observantiæ monimentum, vel minùs diligentem eundem esse, quàm terreni Principes videantur, domini sui suæque gloriæ æmulatorem? Imò tantò crescit magis offensæ in Deum atque injuriæ gravitas, quantò majus pro jure suo obsequium repetit, & contemni se ac despici iniquius patitur. Hinc illæ, quas in singulis sacrorum librorum paginis legimus. Dei ipsius aut querelæ aut objuraciones; cum illudi se à peccatoribus, contemptui haberi, irrideri, contumeliâ affici, conculcari, rursus crucifigi, & novâ multari morte expostulat.

Quantus porro ille est, in quem per peccatum sic insurgitur! Cogitate pulchritudinem illam, quæ omnes ad se rapiat voluntates; quam vidisse vel semel optabilius quiddam sit, quàm deliciis suavioribus per multa annorum millia ad satietatem frui. Repræsentate animo majestatem illam, cui servire sit honorificum magis, quàm toti mundo imperare. Reputate vobiscum bonitatem tantam, ut displicuisse illi grandius quoddam sit & minùs expiabile flagitium, quàm totius orbis in ruinam conjurasse. Hæc si velliceret assequi cogitatione, nondum tamen quantus sit Deus attingissetis. Igitur dotes dotibus, perfectiones perfectionibus adjungite: tot fingite vobis, quot fulgent in cælo sidera, quot atomi per inane circumvolitant, quot arenas mare complectitur; neque sic levissimam perfectionum divinarum imaginem adumbrabitis. Quantum illud est, ante omnia tempora extitisse, nullis locorum circumscribi finibus, nihil eorum, quæ olim eventura sunt, ignorare, supremum in res omnes creatas dominium exercere! Deus ille tamen, tantus, tam bonus, tam perfectus, Deus ille rerum omnium principium ac finis, cæli terræque artifex ac moderator, quem vidisse, quem posse
disse

diffè summa felicitas est, per peccatum impetiur, proteritur, conculcatur.

At quis ille est, qui supremam infinitamque Majestatem attentare confidit: pulvisculus est, vermiculus est, vile mancipium est, uno verbo, homo est, in iniquitatibus conceptus, in peccatis natus, ex argilla lutoque confictus, & in cineres jam jam abiturus. Hominem dico inimicum Dei, servum Diaboli, cœlesti patriâ extorrem, spoliatum gratiâ & sempiternis ignibus mancipatum. Hominem dico, cujus in intellectu summa ignorantia est, in voluntate incredibilis perversitas, in facultatibus cæteris generalis quædam depravatio: hominem dico tot flagitiorum reum, tot malis affectibus corruptum, tot nominibus divinæ justitiæ obligatum. Ille, ille est, qui Deum lacescit ac provocat, qui voluntati ejus resistit, qui legem infringit, imperium excutit, qui denique, ut Jobi verbis utar, *adversus Deum, manum suam tetendit, & contra omnipotentem roboratus est.*

Age, age, infortunate Adolescens, dum obscœnis imaginibus oculos mentemque pascebas; dum pravos nequitiae magistros, avidis oculis amatorior libellos perlegebas; dum turpibus colloquiis liberius indulgebas; dum ambiguïs captiosisque vocabulis alienæ pudicitiae laqueos comparabas; dum res divinas risu jocisque ventilabas; dum præsens in templis corpore, alienus mente, oculos, vultus huc illuc circumferebas, dum inter sacra mysteria nugis, confabulationibus operam dabas; dum nullo peccatorum dolore, nullo melioris vitæ proposito ad Sacramentum Pœnitentiæ accedebas; dum inter confitendum intempestivo pudore correptus ulceratæ conscientiae virus occultabas; dum ad sacram mensam nullo pietatis sensu accumbebas; denique dum te, reclamantibus atque increpantibus nequicquam monitoribus, perniciosæ coniuertudinis vinculis astringebas;

stringebas;

stringebas; tibi ne venit unquam in mentem cogitare, eò te prorupisse temeritatis atque impudentiæ, ut in præpotentem rerum omnium dominum vile mancipium, in Creatorem tuum abjectissima creatura, in supremum vitæ necisque arbitrum tot scelerum reus insurgeres; ut apertas illi ininicitias declarares; ut gravissimam contumeliam inferres; ut, quantum erat in te, de folio Deum dejiceres & hærentem capiti ipsius coronam detraheres? *adversus Deum manum suam levavit, & contra omnipotentem roboratus est.*

II. PARS.

Et mirabitur postea quispiam, si tam incenso non in peccatum modò sed in ipsum peccatorem odio feratur Deus si tam impium, teste Spiritu sancto, quàm impietatem ejus execretur? Quo quid, amabo, ad detestandam peccati labem potentius afferri possit? Hoc etiam vestris animis defigite, nihil esse rerum omnium, quod Deus præter peccatum oderit; si peccatum ex orbe sustuleris, omnem divini odii materiem sustulisti. Ponite vobis ante oculos dura, quæcumque patimur, atque aspera, curas quibus argimur, labores quibus obruimur, casus ancipites & adversos quibus assidue conflamur, populares calamitates ac publicas, bellorum incendia, contagia morborum, imperiorum excidia, tot tamque diversas mortis facies, & cætera, quibus urgemur mala, quæ fugimus, quæ votis omnibus deprecamur, amolimur, quæ naturali odio ac penitus insito detestamur: hæc adeò non odit Deus, ut eorum auctorem se ac dupentatorem non dubitet profiteri, *erit in illum in Civitate inquit Deus quod dominus non fecerit Amos 3.* Fecit illa nimirum non vexandis ac torquendis hominibus, sed ut Medici prudentes solent, nostræ studio sanitatis, ut his quasi medicamentis purgati sensim

ac curati, etsi cum aliquo dolore, tamen cum utilitate convalescamus.

Quid quòd nec in ipsis etiam Inferis quidquam est, quod præter peccatum oderit Deus; hoc uno inivisus nomine Diabolus est, hoc odiosus uno homo impius. Peccatum ex eorum animis erue; frigentur ignes, æterna vis flammaram extinguetur: peccatum ex rerum natura depelle, labor omnis ac dolor evanescet. His Deus odiis, his pœnis, his suppliciis peccatum insectatur. Peccatum in se aggerat iras omnes, omnem divini furoris vim colligit. Finge tibi quempiam omnibus naturæ ac gratiæ dotibus cumulatum, meritis etiam & dignitate, si fieri posset, Beata Virgine superiorem: cogita sedentem illum in folio & ad ipsam Dei omnipotentis dexteram collocatum. Ille, si peccato se inquinare posset, si levissimam, quæ lethalis noxæ materia sit, cogitationem admitteret, hoc ipso momento, nullâ interjectâ temporis morâ suum amorem odio Deus commutaret; perfectissimum illud manuum suarum opus execraretur, deturbaret cælo, præcipitaret, & quamdiu scdâ illâ peccati labe pollutum videretur, nullam ipsi benevolentiam partem impertiret.

Id capis, id cogitas, id intelligis, Adolescens Christiane, quoties mortifero scelere te obstringis? attendis id esse apud te, quod unice Deus oderit? unum ex iis esse te, quos unice aversetur? Num id tecum reputas aliquando ac revolvis? unice Deo inivisus sum! Amat Deus fovetque cætera quæ video, quibus utor, in quibus versor; rebus etiam levissimis & abjectissimis, & rationis expertibus, & sensu carentibus amoris non nihil impertit: in me unum ac mei similes odia Dei omnia conversa & intenta sunt! Hac oppressus conscientiam, his stimulis, hâc cogitatione tacitâ confixus joculari possum, risum tollere, ludo indulgere, cibo, literis, amicis, negotiis tranquillè operam dare? Quid enim interest, si ma-

H

gistrorum

gistrorum gratiâ floreo solers ac blandus adulator, infestum interim Deum habeo? quid refert, si clarus nobilitate, ingenii gloriâ & principe inter æquales loco, circumfluo studijs amicorum & famulantium obsequijs; Deo interim utor inimico & adverso? Quid juvat, si magnæ spei juvenis obversos omnium in me oculos, propensas omnium voluntates animis avertio, defixum interim in me Dei odium est? Magistris gratosus, dilectus æqualibus, carnis meis, acceptus alienis, laudatus ab omnibus, uni abominatus Deo quid curem cætera? Miserum me, imprudentem, inconsultum! An stertere noctes integras, an somnos capere tranquillos possum divini odij securus? Interim dum dormio, illam divinæ justitiæ virgam super me vigilantem, ut Prophetæ verbi utar, illam ingruentem capiti meo procellam, non video, non sentio, non pertimesco! ubi mens, ubi sensus? consilium, ratio quò concessit? quò fugit?

HI. PARS.

Nunc ad eam, quam peccati lethalis severissimam vindictam Deus exercet, convertamus oculos: futurum confido, Adolescentes, nemo ut vestrum non obstupescat ac contremiscat totus, dum furoris divini tristissima in peccatores vestigia perspexerit. Ac primò quidem, ecce video innumerabilem cælestium Spirituum multitudinem, quos liberalis Dei omnipotentis munificentia, omnibus tam naturæ, quàm gratiæ donis cumulaverat, quos in suprema cæli parte inter exquisitissimas mentis delicias collocarat; quibus incredibilem vim ingenij, singularem sapientiam, pulchritudinem ex omni parte perfectam largitus fuerat; quos concretæ labis expertes, sanctos, immortales & ad fruendum æterno Dei compectu destinatos creaverat. Video, inquam, infinitam illam beatarum Mentium multitudinem

tudinem è supernis sublimioris cœli partibus repente dejectam, in altissimas Inferorum voragines præcipitatam, in turpissimas, scdissimásque Dæmonum facies conversam! Causam inquirò tam subitæ, tam prodigiôsæ mutationis, quid demum intervenerit sciscitor; ipsum infortunatæ militiæ Principem compello; *Quomodo de cœlo cecidisti Lucifer? Isa. 14.* Ecce inter lamentabiles confusæ multitudinis gemitus & ejulatus tristissimam omnium vocem audio, peccavimus, iniquè egimus, adversus Dominum Conditorémque nostrum rebellavimus; actum est de nobis, manus omnipotentis Dei contra nos est, conterimur, affligimur, æternis irrevocabilibúsque supplicijs addicimur!

Quanquam, ô Deus, tam multi sunt illi, quos perdis, ut stellas cœli ipsásque maris arenas numero superent; parùm interest, omnes peccaverunt, unâ eâdemque ruinâ omnes involventur. At enim perfectissimum manuum tuarum opus destruis; inquinatum est peccati labe, perpetuis ignibus expiabitur. At quantula est noxa illa, quam una simpléxque cogitatio peperit? noxa illa noxa lethalis est, quam nullæ æternitate totâ pœnæ unquam eluent. Saltem, ô Deus, si quam ipsis pœnitendi moram permitteres! nunquam experti sunt prius vel suo, vel cujusquam periculo exemplum justitiæ tam severæ, nullus ad hunc usque diem tam rigidû supplicij metus, nulla suspicio inciderat! Te misera, te luctuosa tangat tot infortunatorum Spirituum conditio; moveantur misericordiæ tuæ viscera, neque perire in perpetuum sustineas, quos ad sempiternum nominis tui honorem condidisti! Agitur gloria tua, agitur pietatis tuæ commendatio; si perceris, siquam bonitatis partem impertieris, detestabuntur illi toto succedentium retrò temporum decursu errorem suum, non conticescent unquam magnificentiam liberalitatis tuæ, & illatam

semel majestati tuæ contumeliam æternis obsequijs reparabunt. Lata sententia est, inquit Deus, non revocabitur; peccaverunt, & in ipso momento detrudentur ad inferos æternas rebellionis suæ penas dolituri! Hic mihi cum Vate Regio exclamare liceat, ô vox! *vox Domini in virtute, vox Domini confringentis cedros!* Psal. 28. Vox horrenda, vox æternæ calamitatis artifex, quàm immensam infelicitum Mentium catervam disperdis, conteris, exterminas! Et tamen quis credat, vocem illam tam metuendam, tam formidabilem, tam exitiosam quotus est hominum qui pertimescat?

Immoremur hic paulùm, amabo vos, Adolescentes, & incredibilem nostram temeritatem atque amentiam expendamus. Ecce nobilissimis aulae suæ Principibus Deus non parcat; ecce purissimas mentes ob unjus cogitationis flagitium perpetuis castigat incendijs; non deterretur innumeris, perfectissimisque dotibus, quibus plenâ, ut sic loquar, manu cælestes illos Spiritus cumulaverat, quin suum ipse opus destruat, ac labefactet; nos interim viles contemptique Homunciones ex argillâ lutoque conficî eandem illam majestatem repetitis laceffere flagitijs non desistimus! Quæ tandem illa confidentia nostra est? quid tam securos media inter justitiæ severioris exempla, tamque tranquillos facit? Illi tot ornatu naturæ, gratiæque muneribus nullum apud Deum indulgentiæ locum invenire potuerunt; nos tam abortu ipso, quàm toto vitæ tempore peccatorum infecti sordibus facilem ad iratum Judicem accessum habebimus: Illi peccati unjus conscij perbreve ad pœnitendum moram non impetrârunt; nos obtentâ toties multorum flagitiorum veniâ placabilem Deum experiemur? Deum illi supremum quidem Conditorem, at neque pro se passum, neque pro se mortuum offenderunt; nos suffixum in crucem, & inter cruciatus acerbissimos amoris nostri gratiâ
inter

interemptum illudimus ! An igitur existimamus Deum illum , qui pravitatem in Angelis suis tam immisericorditer emendavit , placatum nobis semper ac misericordem fore ? Nam cur spe futuri decipimur ? Discamus potius , Adolescentes , ex hoc primo divinæ justitiæ vestigio inexorabilem sceleris vindicem revereri.

Sed ad aliud divinæ ultionis exemplum intendamus oculos ; & peccatum in Adamo , ex quo prognati omnes sumus , totâque deinceps hominum serie vindicatum contemlemur. Verùm quàm multiplices , quàm variæ , quàm terribiles occurrunt unius flagitij pœnæ ! quàm rigidum se primi , quod in mundum prodijt , peccati vindicem Deus exhibuit ! Pensate enim animo illam malorum profluvium , quæ ex primi parentis scelere , tanquam ex fonte teterrimo in universum terrarum orbem promanavit : complectimini , si potestis , cogitatione vestrâ omnes miseras ac calamitates , quibus vita hominum est obnoxia ; paupertatem , ignorantiam , perversitatem , morborum omne genus , famem , pestilentiam , tempestates , incendia , lites , jurgia , dissensiones , bella , cædes , vastitates , quidquid durum est , quidquid molestum atque asperum. Repetite memoriâ ab ipsa origine varias mundi ætates , quot hominum millia ferro , quot flammis , quot aquis perjerint. Congerite in unum cumulum atque aggerem omnia eorum cadavera , qui vixerunt ad hanc usque diem ; ossa ossibus imponite ; & in tristes illas reliquias seridè ac diligenter intuite , dicite ; hæc sunt peccati pœna : istam malorum omnium immensitatem unius peccati labes in mundum invexit : si Adamus abstinuisset à peccando , perpetuam sibi nobisque in hac vita tranquillitatem ac pacem , & perennem in hac altera felicitatem promeruisset. Quale igitur malum peccatum est , quod tam multis ab hinc sæculis Deus ulciscitur , &

ulciscendum adhuc non ad ultimam modò temporum omnium seriem, sed & æternitate totâ castigandum iudicavit! Quibus lachrymis dolendum peccatum est, quod tantam nobis cladem, tam exitialem ruinam attulit!

Deploramus quotidie graves vitæ hujus ærumnas, ipsam verò tot ærurnarum causam non detestamur! Dolemus accensas atque inflammatas toto orbe bellorum faces; accendit peccatum atque inflammavit. Querimus exulare pacem ac tranquillitatem; pacem ac tranquillitatem peccatum expulit. Deslemus difficultatem temporum, rerum angustias, tempestatum incommoda; hæc quanta, quanta sunt, peccatum induxit. Lugemus afflicta innumeris morbis corpora, continuis sollicitudinibus ac curis mentem sauciata; afflixit peccatum ac sauciavit. Hæc tamen cum amarissimis lachrymis sæpè prosequamur, peccatum unum, absque quo foret, ut malis istis omnibus careremus, sicis aspiciamus oculis; &, quod multò pejus est, suspicimus ultrò, & amicum ipsi nostris in cordibus hospitium exhibemus.

Quòd si, nec isti, quos patimur quotidie, miserabiles peccatorum effectus eam vim habent, ut ingenerent animis vestris infinitum quemdam peccati horrorem ac metum; ad tertium vos provoco divinæ severitatis exemplum, quò nihil excogitari gravius aut acerbius possit; sempiterna flammaram incendia intelligo, quæ expiandis totâ æternitate impiorum flagitijs Dei omnipotentis furor succendit. Accedite igitur animis ad illa fumantium claustrorum spiracula: imò reperate Inferi, fauces vestras ad tempus, *ut descendant in infernum viventes, ne descendant morientes*, inquit Bernardus. Agite Adolescentes, intendite curiosos oculos; circumspicite aggestas cumulum in immensum densatasque hominum catervas medios inter rogos, nequicquam despe-

desperantium; audite gemitus, excipite lamentabiles querelas, singultus & ejulatus obstupescite. Contemplamini diligenter, & inter infinita reprobatorum millia fecernite ac dignoscite multos, quos vidistis, quibuscumque sub eodem tecto fortè vixistis, aut de quibus saltem centies audivistis. Quid illos, amabo vos, perdidit? cur ardent tot animæ in illis ignibus? cur illis supplicijs cruciantur, cruciabunturque semper? quid illas in istam malorum omnium voraginem adduxit? Unum, quod illic ardeat, lethale peccatum; quisquis peccato vel uno constrictus est, reus est æterni incendij; momentum unum delectationis pravæ cruciatûs acerbissimi æternitatem parit! Quot superbi homines, quot nebulones lascivi, quot sacrorum hostes ab ipso pœnæ nascentis mundi exordio medios inter flammaram rogos sepulti detinentur, qui nullum unquam patiendi finem invenient!

Interim Deus, cujus natura bonitas, animas illas videt, quas ad imaginem, similitudinemque suam condiderat, quibus sanguinis sui pretium liberaliter impenderat, videt, inquam, animas illas inextinctis depasci ardoribus, audit tristes gemitus, intuetur lachrymas, desperantium desideria contemplantur, nec flectitur tamen, nec movetur, nec parcit! Illa misericordiæ viscera, quæ ad levissimas vilium animalium necessitates cominoveri solent, nihil omnino sentiunt eorum gratiâ, quos paternâ olim benevolentiam complexus innumeris beneficijs cumulaverat! Magnam profectò & inauditam oportet esse peccati malitiam, quæ Deum ex se se tam bonum, tam beneficum, tam misericordem, in severum atque implacabilem judicem commutavit? *Pereat Samaria, inquit Propheta, quæ ad amaritudinem concitavit Dominum suum. Ose. 14. Væ vobis Adolescentes, si infinitam Dei optimi atque aman-*

tissimi misericordiam ad eas angustias unquam adigitis, ut aeternas irrogare vobis poenas sustineat.

Durum fortè videtur vobis, quòd infelicis animæ tristissima conditio nunquam flectere possit ad misericordiam Deum illum, quem offendit: at scitote tamen, tantam esse peccati lethalis gravitatem, ut, qui illud admiserit, levioribus, quàm par sit, mulctetur poenis. Non, si Deus multitudinem illam atque acerbitatem poenarum, quas singuli in Inferis Dammati patiuntur, in unam peccatricem animam effuderit, severus fuisse plus æquo dicendus sit. Ergo quid me fieret, si jam morerer, quem lethalis noxæ reum conscientia redarguit: ubi nunc essem, si me improvisus obruisset casus, antequam expiare lachrymis admissum scelus potuissem: arderem in incendijs, gemerem in supplicijs Inferorum civis, tenebrarum hospes, flammarum pabulum! Imprudens! an ego potui versari tamdiu in illo periculo? an in eodem diutiùs versabor? En peccatum me suo pondere ad inferos præcipitat: eò me Dæmon conatur impellere, vitam eripere omni momento paratus. Et tam vicinus aeternis supplicijs securus vivam? Ah! potiùs sustine, juste Iudex, ultricem manum; da brevem moram, per quam lugere possim tot delicta traductæ perperam juventutis, & præservidæ ætatis inconsiderantiam expiare. Neque enim satis intellexeram ad hunc usque diem, quanta peccato gravitas atque scditas adhæresceret: non in mentem mihi venerat cogitare: esse peccatum lethale ejusmodi, ut mitius, quàm deceret, inter gravissimos Inferorum cruciatus puniatur. Nam si, quoties peccandi occasio incidit, diligenter maturèque perpendissem, nihil esse tam exquisiti apud Inferos supplicij, quod æquare peccati malitiam possit, num peccare toties tamque graviter sustinuissem?

Verùm

Verùm heu me! quantum absuit, quin funestifimam illam veritatem per memet ipse experirer? quàm sæpe in ipsa hujus præcipitij margine periculosos feci lapsus, quibus, nî me tua manus tenuisset, in hanc malorum omnium eluuiem nunquam emerfurus inde, proruiffem! Quas ergo tibi referam gratias, ô Deus, per quem incolumis etiamnum vivo, dum in alios minùs nocentes, quàm ego sim, rigidus suppliciorum exactor extitisti? Sed quo me deinceps pacto geram? Tène post tam illustria tuæ in me misericordiæ monimenta rursum offendam? eâne abutar impostero bonitate, quam mihi hætenus indulxisti? Ah! ne id patere, precor, ô Deus! quin potiùs, si quid esset adhuc in me, quod tibi displiceret, si quas in intimis animæ penetralibus peccati reliquias deprehenderes, totum illud sic confice, sic erue, sic expurga, ut purus atque integer ab omni peccati labe, suavissimâ conspectûs tui jucunditate frui aliquando possim.



DE

MORTE.

ORATIO X.

Pulvis es, & in pulverem revertèris. Genes. 3.

Quid esse dicam, Adolescentes, aut quo mortaliū fato fieri putem, ut cùm nihil frequentius obversetur oculis, quàm terribilis mortis
H s spectus;

aspectus ; nihil quod in communem omnium sermonem sæpiùs cadat , quàm funesta mortis commemoratio ; nihil denique quod in Literis sacris inculcetur diligentius , quàm assidua mortis ejusdem memoria ; tamen sic plerique refugiant fatalem illam universis hominibus horam animo pertractare ; quasi novum quiddam atque insolens , aut alienum à se penitus proponeretur. Atqui hæc ipsa est diligens præsertim & attenta mortis cogitatio , vi cujus declinare liceat , quidquid in morte metuendum magis occurrit ; per quam sensim sine sensu eadem illa non tam terribilis , quàm amabilis , non tam refugienda , quàm optanda possit videri ; quam si defixerimus semel animo penitiùs , securitate quadam & tranquillitate singulari , vel inter ipsa gravissima mortis pericula gaudebimus. Adeste igitur animis , Adolescentes ; usurpemus jam ultro ac lubenter non sine incredibile animæ nostræ utilitate , quod olim , si nunc neglectum fuerit à nobis , cum ingenti desiderio , luctuque vel inviti ac repugnantibus experiemur.

Atque ut meditationis tam necessariæ studium in vobis magis ac magis incendam ; intelligite , quàm liquidus ex ea fructus , quàm utilis existat. Duo sunt vulgò , quæ salutis negotio moram & impedimentum afferunt ; nimius rerum præsentium amor , hoc primum : gravis rerum futurarum incuria , hoc alterum. Adhærescimus prævè bonis , quibus in hac vita fruimur ; quid fruendis in altera bonis esse possit , vix ac ne vix quidem attendimus. Porro , quàm salubriter frequens ac serîa mortis meditatio utrique malo medeatur , hodierna Oratio demonstrabit. Hoc habet mortis meditatio , ut rerum præsentium fastidium ac despicientiam ingeneret , erit Orationis pars prior. Cogitatio mortis vigilantiam Christianam suscitât , ne æternis bonis excidamus , pars Orationis posterior persuadebit.

Agite.

I. P A R S.

Agite, Christiani Adolescentes, quis inordinato rerum terrenarum affectu teneri se patiarur, aut etiam easdem fastidire ac despiciere salubriter non incipiat, qui moriendum sibi esse frequenter ac serio cogitavit? Nam quid mori dicemus esse, aut mors quid aliud est, quam absoluta quædam, integra, perpetuæque abalienatio, disjunctioque rerum universarum, quæ sub aspectum nostrum cadunt? Scilicet qui moritur, sic divellitur ab ijs, quæ viderat, aut possederat, aut amaverat, ut habendæ imperium ullius cum ejusmodi rebus communionis atque commercij spem omnem atque expectationem deperdat. Ita se res habet, Adolescens Christiane, cum moriendum erit tibi, quantumvis adhærescas terrenis ac caducis bonis, quæ paraveris multo cum labore, quibus fruere delectabilius, quorum usuram longiùs tibi pollicebere, ijs sic esse valedicendum puta, nullam ut deinceps cum iisdem societatem habiturus sis. Tum verò quid fiet illis opibus, quas ut in altum exstrueres, totam pœnè vitam labore, curâ, anxietate contriveris? quò pertinebunt honorum gradus, unde in obscurum horrendi tumuli domicilium demigrabis? quid proderunt illæ voluptates tanto quæsità studio, tam degustatæ suaviter, quibus in perpetuum cendum erit? quid conferet tibi ingenij laus, eruditionis fama, politioris cujusdam cultûs elegantia, in quibus te vel extuleris insolentiùs, vel plusculum amaveris, cum hæc omnia tecum unà jam jam extinguentur? quid juvabunt amicorum copia, domesticorum multitudo, florentissimæ sobolis frequentia, à quibus in hoc discrimine positus nullum subsidium, nullam operam, nullum auxilij genus experiere. *Nudus egressus sum, inquires cum Jobo, ex utero matris meæ, nudus eodem revertar.* Job. 1.

Hanc

Hanc verò rebus omnibus valedicendi necessitatem, cum semel hora lethi fatalis accesserit, ita sensit profana antiquitas, ut indignum crederet hæc amare perditius, quibus esse ferius ocyus carendum meminisses. Nōstis quàm serid Poëta ille vester amicum admoneret quempiam, qui rerum suarum amore tenaciùs vinciebatur: *Cedes, inquit, cedes coëmptis saltibus & bonis, villaque, flammam quam Tyberis laesit, cedes, & extructis in altum divitijs potietur hæres; Lib. 2. Od. 3. Neque verò adiciebat, harum, quas colis, arborum, te præter invisas cunctos pressos ulla brevem dominum sequetur. Ibid. Od. 11.*

Verùm in istâ rerum omnium dimittendarum necessitate, quàm acerbus, quàm luctuosus homini rebus omnibus circumfluenti dolor ingruet! quàm ægrè patietur auferri sibi bona illa, in quibus spem suam atque felicitatem habebat collocatam! quot erumpent lachrymæ, quot singultus personabunt! quanta funestissimæ desperationis significatio se prodet! *Siccine separat, inquiet, amara mors!* 1. Reg. 15. Heu! vix dum tempus fuit utendi illis opibus, quas tanto studio comparasti miser, & illas jam eripis! vix artigi labris primoribus delicias breves tot dolorum redemptas aculeis, *gustans gustavit paululum mellis, & ecce morior. 1. Reg. 14. Vix defungi licuit primis dignitatis hujus novæ honoribus, & ecce velut à texente vita mea succiditur. Isa. 38. Filios educaveram. spem domûs, familiæ columnen, patris amores, & jam divellor ab eis, & in omne tempus disjungor! Siccine separat amara mors?*

Hæc eadem hominis morientis desideria quàm feliciter Spiritus sanctus paucissimis verbis expressit *O mors! quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis! Eccl. 41.* Hanc mentis sollicitudinem, hanc amaritudinem cordis experietur olim, quisquis è vobis opulentiori fortunæ nequiùs servierit, cum erit nuncium eidem remittendum; cum veniet ad vos trepidationem inter

ac metum legatus à cæteris quidam, vel medicus, vel amicus, vel Christi minister, & decumbentibus in lecto mortis tristissimam illam vocem deferet: Actum est, amice, desperata valetudo nulla spes salutis affulget: moriendum tibi: vix unus aut alter restat dies, quem æternæ saluti possis impendere. Eja de conscientia tua expurganda cogita, pone in lucro moram brevem, quam tibi Deus adhuc impertit: Heu! inquires, si loqui jam vacat; vel si non licet, cogitabis tecum; heu! tam citò! hac ætate, his viribus, hoc statu rerum mearum tam læto, tam florente, tam pleno expectationis cujusque longissimæ? *O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis!*

Hanc verò morientis hominis imaginem quisquis sæpè retractabit animo, & maturè secum expendet, quam aliam conclusionem pronum est eum elicere; nisi ridiculum esse & non ferendū stultitiæ genus, ita macerare se comparandæ ejusmodi fortunæ gratiâ, quæ tam caducis, tamque ruentibus fundamentis nititur: amare perditè vitæ hujus delicias ac commoda, quibus primo quoque tempore privari possit: sic esse totum in ædificanda domo fragili ac luteâ, quæ per se ipsa rimas agit undique, dum parandæ habitationis æternæ cura penitus negligitur. Quàm bellè stuporem mortalium & amentiam in confectandis tantopere amandisque fragilibus hujus ævi bonis Regius Vates olim increpabat! *Filij hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, ac queritis mendacium?* Psal. 4. Qui vos error à via veritatis abduxit, quò pergitis amentes, quid quæritis, quò contenditis? an nescitis, *quia non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*, Hebr. 13. stabilem, perpetuam, varietati temporum, fortis injuriæ, hostium oppugnationibus minimè obnoxiam? Hos sensus mihi credite, vobis injiciet salubris mortis cogitatio, neque con-

tinget

tinget fieri similes hominis illius, cujus imprudentiam ac cæcitatem etiam cum amariore joco Christus insultat. Collegerat ille messem copiosissimam; fecerant agri fructus uberrimos; plena frumento horrea & torcularia vino redundabant. In hac lætissima rerum suarum conditione ita cogitabat intra se ac dicebat: *Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos? LUCI 2.* Et dixit: *ipissima sunt, Adolescentes, Evangelij verba quæ profero; & dixit, inquam, hoc faciam; destruam horrea mea & majora faciam; & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus; Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cujus erunt?*

Heu! quàm multis illud ipsum accidit, qui post exantlatos multos labores, & exhausta varia vitæ hujus pericula, cum venissent eò tandem, ut partis in pace fruerentur bonis, inter spes medias succissi de numero viventium sublati sunt. Qui utinam in revocanda mortis memoria assidui, diligentesque magis extitissent, nec perstringi sivistent oculos suos insanis rerum periturarum fulgoribus, nec frustrari spes suas in ipso votorum apice doluissent! Vos verò in lucro ponite stultitiam istorum hominum, & ex eorum exitio documentum capite, quod vobis ex usu sit: æmulamini eorum prudentiam, si minùs effectu, sed affectu saltem, qui in ipsa, quam propono vestris mentibus, cogitatione mortis, subito ac repentino rerum terrenarum fastidio ita correpti sunt, ut abdicarent penitus, quæ possidebant, omnia; valedicerent honoribus ac dignitatibus; & voluntariæ paupertatis cultores se se sylvarum tenebris ac montium speluncis abderent omnium egentes ac nudi, ne quid superesset sibi quod auferre mors posset; tanto illi contemptu fastuosas

suos opes despiciabant, quanto ceteri hominum studio illas consecretantur. Neque verò mirum erat, si cum demigrandum sibi foret ex hac vitâ, tam singulari gaudio & gestientis animi significatione accedentem mortem exciperent, neque tam decedere è vita viderentur, quàm in aliud multò feliciter ævum commigrare. *Quantum erit fiducia morituro*, inquit aureus Imitationis Christi Liber *quem nullius rei tenebit affectus?*

Sit ergo fructus ille veritatis hujus, quam mortis cogitatio bene præparatis animis nudam & apertam exhibet, Adolescentes; ut vim infringat periculose tentationis, cui ætas vestra, tenera quantumvis, plerumque obnoxia est. Quotus enim vestrum est, qui, si conscius sibi sit ingenitæ virtutis; si sentiat in se ingenium rerum magnarum capax; si vel in parentibus vel in amicis præsidium grande, ad consecretanda quæ sublimiora sunt, sibi gratulari possit; quotus, inquam, vestrum est, qui spes altas jam tum non foveat, & excelstæ fortunæ fabricam moliri animo non incipiat? Ceteri qui nihil habent ejusmodi quod sperent; quibus tenuitas sua audendi quidquam jus & animum eripit, nihilo æquiores prioribus, aut fortunatoribus invident, aut laudare & amare non cessant, quod ipsi assequi nequeunt, aut etiam iniquam nimis supremi Numinis incusant providentiam, quæ liberalis in alios ac munifica, sibi parca unis & avara extiterit. Verùm quàm efficaciter damnosus in utrisque sensus cogitatio mortis retundit ac reprimat. Nam quis studeat impensius rebus ejusmodi, aut iisdem destitutum se fuisse tantopere doleat, quarum hoc esse factum meminerit, nihil ut morientibus vel ad præsidium vel ad solatium profint. An non potiùs funestam fortunatorum hominum, ut sibi videntur, sortem commiserans in has voces erumpat? Hucine, Deus immortalis, res humanæ recidunt! tàmne brevibus cancellis ac terminis mortalium felici-

tat concluditur, ut in extremo vitæ limine spoliatos se rebus circumfluentibus nudatosque deprehendant? Huic infelici scopulo sic allisa Regum ipsorum potentia confringitur, ut fulgor ille majestatis, qui perstringit oculos & animos rapit in admirationem sui, tanquam inanis fumus dissipetur & evanescat! Nam cur ergo tantopere superbiant qui divitijs affluunt, qui præfulgent honoribus, qui cæterorum fortunas moderantur, qui imperium exercent orbis spectabiles ac verendi, quando nihilo plus auferent ex illâ rerum copiâ, quibus abundant, quàm qui miserimâ laborant egestate? quando summos pariter & imos eâdem falce mors demetit, & uno compositos in tumulo omnes æquat omnibus?

Verùm ipse quò feror? cur hæc eadem ambio tantum, quæ mors quantocyus eripiet? cur mihi met plaudo tacitus, & gratulor in sinu, quia fortè pinguis hæreditas me respicit, quia me primi honorum gradus expectant, quia mille deliciarum illecebræ mihi jam blandiuntur? Imprudens ad quem tam brevis rerum istarum utura perineat, qui bonis omnibus aliquando exuendus sim, & ad vilissimorum homuncionum sortem redigendus. Vel cur miserum me & infelicem rear, si nobilitatis minus ac splendoris natura contribuisset, si vivere obscurum sineret, si parcius mihi ad vitæ commoda mollésque delicias providisset; cùm post angustos mortalis ævi terminos, sublato inter homines aut nobilitatis, aut divitiarum, aut dignitatis discrimine, una eadèmq; omnium conditio futura sit.

Nolite dubitare, Adolescentes, habet hoc mortis meditatio singulare præsidium, cùm ut altos premat spiritus, & ambitiosum semper suis in votis animum coërceat, tum ut salubrem rerum humanarum despicientiam ingeneret. Nunc quàm potens eadem sit ad suscitandam Christianam vigiliantiam, pars Orationis altera demonstrabit.

II. PARS.

II. P A R S.

Quàm certa & ineluctabilis est mortis necessitas, tam incertam ex omni parte & obscuram esse mortem fides & quotidiana experientia demonstrant. Triplex autem inprimis obscuritatis genus metuendam ac terribilem mortem efficit; quod si pertractetur animo diligenter, & ad frequens revocetur examen, fieri omninò non potest, quin perpetuus inde & efficax pariter Christianæ vigilantia stimulus exurgat. Incertam igitur dico & obscuram mortem esse, primò quod tempus attinet: deinde quod spectat rationem ac modum; denique quod pertinet ad statum & varias affectiones, in quibus anima deprehendetur. Quæ tria dum breviter persequor, diligenter attendite.

Incertum est, quando illucescet fatalis ille dies, qui vitæ modum ac finem imponet. Age, dic mihi, Adolescens Christiane, si potes, quos præscriptos tibi, quos designatos arbitraris vivendi fines ac terminos: An prorogabis vitam ad extremam usque senectutem? an in medio quodam annorum cursu metam invenies? an breves ultra juventutis cancellos progredi non licebit. an in ipsa fortè adolescentia de numero viventium succideris: quid censes? quid existimas? quid tibi videtur? Scio, quò pertineant spes tuæ, quàm longè promoveas expectationem tuam, quàm multam annorum seriem, hac ætate, his viribus, hac valetudine tibi adpromittas. Sed peto, ut exploratum aliquid super eâ re pronuncies; ut certum aliquod designes temporis spatium, intra quod sine ullo mortis metu impunè possis excurrere. Sed frustra ego te interrogem, cum nec tibi, nec ulli hominum id innotescat, dicente Domino, *Nescit diem, ne-ue horam.* Matth. 25. Imò, non modò nihil compertum quidquam de mortis nostræ tempore, sed etiam idem Domi-

nus liquidò profitetur futurum, ut quâ præsertim horâ nihil ejusmodi suspicabimur, eâ sit nobis moriendum; *quâ horâ non putatis, filius hominis veniet.* Luc. 12. Hinc in alio loco Christus adventum suum furi ac latroni comparat. Quod sibi tempus deligendum putat fur ac latro, si cujus domum populari atque expilare cogitet? Num mediâ de luce fores obsidebit, aut in ædes irrumpet, cum circumcurfant undique, qui vim arcere possint? cum adsunt in excubijs domestici, & ad ferendam opem prompti ac parati? cum vigilat ipse paterfamilias, & periculi metuens custodit ipse domum ac tuetur? Non committat sanè, ut tam ineptum rei faciende tempus occupet. At cum securus rerum suarum dominus nihil sibi metuendum æstimabit; cum alio demersi somno domestici facilem in penates aditum permittent; cum tenebræ & longum concubiâ nocte silentium prædonum consilium adjuvabit; tunc illi factò impete domum adorientur, sepultos somno vinóque servos occupabunt, jugulabunt patremfamilias, & rebus omnibus potientur. Hunc ipsum inibit morem Christus Dominus, cum ad exigendam à nobis totius anteaetæ vitæ rationem accedet, *Ecce venio sicut fur.* Apoc. 16.

Sic erit, Adolescens Christiane, tunc esse tibi excedendum è vita existimes, cum moriendum tibi esse minùs suspicabere; cum sanus in primis ac vegetus, plenus viribus atque robore longiores tibi annos polliceberis; cum arridebit gratior & suas in sinum tuum opes fortuna congeret; cum meritis fortè periturarum rerum curis ac sollicitudinibus inculiam jacere conscientiam tuam ac sordidam patieris; tunc repentè mors ingruet, & spes uno momento lætissimas ressecabit. *Quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.* Luc. 12. Utinam singuli vestrâ saluberrimum illud, quod Imitationis Christi Liber impertit, adversùs quascumque intempestive mortis

mortis insidias consilium æmularemini. *Cum manè fuerit, inquit, puta te ad vesperum non perventurum, vespere autem factò, non audeas tibi manè polliceri.*

Vellem ergo, ut unusquisque vestrum, antequam decumberet, id attento secum versaret animo! Ecce lectum jam peto incertus, quid de me hac nocte futurum sit. Valens equidem mihi videor ac sanus; at quàm multis tam affectis bene, quàm ego sum, contigit, ut medios inter somnos repentinà morte opprimerentur, & tristes in cubili suo sepulchrum invenirent! Id si fortè mihi hac nocte contingeret, an securus aliquo pacto sisti possim ad tribunal divinæ Majestatis? nihilne exprobrat tacitè conscientia, quod me lethalis culpæ reum efficiat? ah! si flagitij lethiferi conscius meritò videor, an tranquillos capere somnos possim, nisi priùs peccatum illud sincero dolore, & melioris frugis desiderio eluerim, incertus quid de me hac nocte statuendum sit? At fortasse nihil eveniet ejusmodi, quod vereor: sed fortasse id ipsum, quòd non vereor, experiar: miserum me & inconsultum, qui rem illam, unde tota, quàm longa est, pendet aternitas, tam caduco, tamque fragili patiar fundamento fulciri.

¶ Pergamus ulterius: Adolescentes; non incerti modò vivimus, quo tempore nobis ex hac vita sit demigrandum; sed ipsum mortis genus, quo moriendum nobis est, incertum penitus & obscurum declaratur; magnum timoris & vigilantiae singularis argumentum! Nam quid amabo vos, cogitatione istà tristius ac luctuosum magis? nescio quo mortis genere moriturus sim! Ecce adfertur ad me quotidie: hic transfixus ferro cecidit, ille perit incendio; iste suffocatus aquis ac sepultus est; alter oppressus ruinà interijt; alter ludendo vivendi finem fecit; is obrigit manducando; ille confabulando mortuus est; iste lecto

in suo postridiè manè repertus examinis, cum sanus pridie serò decubuisset. Mihi verò quo tandem mortis genere continget mori? An subito ac repentino casu præveniar? an longiore morbo confectus excedam? An erit mihi tempus ad excutiendam conscientiam, & dolorem de peccatis excitandum? an erit tam prompta, tam improvisa mors, ut omnem penitendi moram ac modum adimat? An aderit præter Christum Minister, qui delictorum excipiam confessionem, & longæ peregrinationis in viaticum, sacrum Domini Corpus porrigat? an gemine illo salutis præsidio privandus sum? An vis morbi & afflictæ domûs perturbatio salubrem æternitatis cogitationem admittent? an raptò statim extra me orbo rationis usu consulere nihil licebit, quod securitatem pariat aut solatium? Hæc omnia plane incerta sunt; nihil statuere certi super ea re possumus & tamen hac ego defixus cogitatione, his agitatus stimulis viva vivam, quasi hoc esset in mea potestate positum, convenientissimum quodque moriendi genus ad arbitrium eligere! Quanto satius est ea inire vitæ rationem, quæ quocumque mortis in discrimine securum ac tranquillum præstet! Turpe certe parùm intererit, quis demum mortis calcem occupet, qui paratus semper ad moriendum inveniatur. Verùm quo non vives in metu, quod sis affectus tam malè ut quo versaris in statu, mori pertimescas? quàm expavesces ad varia vitæ pericula, qui pravitatis tuæ conscius sentias subeundum esse tibi damnationis æternæ iudicium, si ante expectatam probè conscientiam mori jubereris.

Tertium attingo obscuritatis caput, quo mori adhærescit semper, & quod incredibili quodam timore securissimas quâsque mentes percellere graviter debet. Incertum est, an peccati reus an divinâ instructus gratiâ moriturus sim. Pavens D. Bernardus, ut ipse de se profitetur, & totis perhorrescit

horrescebat artibus, quoties retractabat animo terribilem illam sententiam; *Nescit homo, utrum odio, an amore dignus sit.* Quotò graviore metu concuti par est unumquemque nostrum, dum revolvit apud se tacitus, nescio an in statu gratiæ, an in statu peccati deprehendendus sim? Tamen ex illa affectione animæ, in qua quis in morte invenietur, vel beata, vel infelix pendet æternitas! Si acceptus Deo tunc, si nullius mortalis noxæ reus haberi possim, in portu navigo; res meæ in vado sunt, nihil periclitabitur animæ meæ salus. Sin autem infectum lethali maculâ mors occupet, actum de me est; jacturam facio nullâ unquam arte reparabilem, desperata salus in perpetuum. Utrum porro amborum accidet? quam ego sortem letho proximus experiar? an justorum, an peccatorum morie sum moriturus? Hoc prorsus latet! nemo hominum, quantum est, qui vivunt, id novit: depositum apud unum Deum illud mysterium est. O justum, ô terribile perpetui timoris argumentum, quod non eos modò pungat ac stimulet, qui partem vitæ maximam licentiori consuetudine traducunt, sed & homines probos, graviumque noxarum expertes nunquam conquiescere patiatur.

Hæc revolve tecum seridè, Adolescens Christiane, si quis esses ejusmodi, qui vitiosi habitus labe jam diu depravatus perpetuo jaces flagitiorum in cæno; qui vix expiatis per Sacramentum Pœnitentiæ offensis prioribus, in easdem paulò post graviore lapsu recidis; qui nullum facis peccandi finem aut modum. Dic mihi, quæso, tunc velles in eo statu mori, in quo menses plerumque integros, annos etiam ipsos versari soles? æquòne ferres animo, si post admissam turpitudinem obsoletam, nullâ interjectâ temporis morâ, ad tribunal divinæ Majestatis judicandus sisterere? Tunc securus rerum tuarum tibi videreris, si in hac ipsa circumstantia tem-

poris, quâ te alloquor, nunc cum arcanis motibus tuas tibi sordēs conscientia exprobrat, cum te fortasse gravatum alicujus impudicitiae pondere & oppressum sentis; cum pertinax in malitia nihilominus nec dolorem facti, nec melioris frugis desiderium experiris? Tūne, inquam, rerum tuarum securus tibi viderēre, si triste illud nuncium portaretur: Actum est, Adolescens Christiane, tibi luxū extremus vitæ dies; hoc ipso momento reddenda est apud omnipotentem Deum totius anteaſti temporis ratio: nullus deinceps moræ, nullus tergiversationi locus est. Non ego te tam parū studio sum salutis tuæ putem, quin contra tam feralem sententiam statim reclamares: velles indulgeri prius aliquid quantumvis breve spatium ad eliciendas ex cordis tui duritia testes doloris tui lachrymas, ad expianda salubri confessione tot delicta, quibus ultorem Deum provocasti, ad expurgandam omnium scelerum face conscientiam, ne quid perspicacis ac severi iudicis oculos offenderet.

Vide ergo, ut jam nunc facias, quod tunc fecisse voluisses. Nam unde futurum nōſti, ut in eo statu, in quo nunc es, in quo mori non velles, re vera non moriaris? quis spopondit tibi, redemptum te ex illo liberiore juvenum consortio, ubi depravari te, corrumpique siveris, ubi pudicitiae gravem maculam inusseris, ubi motus omnes aspirantis gratiæ, & à prava libidine dehortantis represseris, non esse te repentinā ac luctuosā morte opprimendum?

Hæc sunt, Adolescentes, incertæ & obscuræ mortis adjuncta, quæ dum ferid ac frequente animo versabitur, vestri vos officij admonerunt, & Christianam in re salutis vigilantiam erectam semper & attentam efficiunt. Ergo geminum illud habebitis in assiduâ mortis meditatione præſidium, ut terrenarum rerum, quæ mentes hominum

satis

fascinant, & à cœlestium amore ineluctabiliter avertunt, tædium ac fastidium ingeneret, & in promovendo salutis æternæ negotio inertes vos ac socordes esse non sinat.

Quare ut eò referatur, unde processit Oratio, rogo vos atque obtestor etiam atque etiam, ut tristissimam illam mortis sententiam, quam olim peccati vindex atque ultor Deus in parentem omnium primum, totumque adeo hominum genus sancivit, salubri meditatione non temperetis modò, sed etiam utilem ac fructuosam reddatis; *pulvis es, & in pulverem revertèris.* Genes. 3.



DE MORTE PECCATORUM.

ORATIO XI.

Mors peccatorum pessima. Psal. 33.

Quàm multa paucis complexus est Spiritus sanctus, Adolescentes Christiani, cum pessimam peccatorum esse mortem affirmavit. Quid enim adjici posse videtur ulterius ad incutiendum animis mortis ejusmodi horrorem ac metum? aut quis defungi illa morte non refugiat, quæ Spiritus sancti testimonio pessima nuncupatur? Esto, per me licet, felix ac fortunata peccatorum vita censeatur, dum prætergressi vulgus hominum, & sublimes tanquam cedri Libani humiles terras despiciunt, & nubes ipsas affectant; dum monstrantur digito prætereuntium, & quasi delapsa cælo Numina suspiciuntur,

ac coluntur; dum positi extra calamitates ac miseriae, quibus fors mortalium obnoxia, circumfluunt voluptatibus, & mollioribus delicijs innatant. At si vita illa tam florens, tam plena illecebris, tot expectanda nominibus luctuosam mortem concluditur: si vivere bene ac beatè cum peccatoribus nemo possit, nisi malè cum iisdem & infelicitè moriatur: quis erit tam stultè cupidus fragilis, periturique boni, ut illud funestissimo & ineluctabili malo redimere non dubitet?

Quamquam, dicamus, quod res est, neque nobismetipsis in re tam seria turpiter illudamus. Quam multi sunt, qui peccatorum vitam ambiunt, ac sequuntur, securi quem illa finem atque exitum habitura sit. O improvidas fati sui mentes hominum! O funestam gravissimis in periculis securitatem! Ergone minimè miserum est, obire mortis genus illud, quo peccatores moriuntur? aut latere cuiquam potest, quibus incommodis pateat mors illa, quam pessimam esse sacrae Literae profitentur; Hoc si ita est; ne vobis olim malus error fucum faciat, aut fatalis securitas periculosas insidias molliatur, si fortè, quod avertat Deus, peccatorum viam decurreritis; immoremur parumper, Adolescentes, in adumbranda mortis illius imagine, quae peccatorum propria est; excutiamus diligenter, quid funesti secum adsportet; quas demum ob causas pessima dici debeat, & revera sit. Faciet, mihi credite, cognita probè ac perspecta periculi, quod in morte peccatores incurrunt, gravitas ac magnitudo, ut ad detestandam, fugiendamque eorum vitam ac consuetudinem paratiores accedatis.

Tri sunt omnino, Adolescentes, quae pessimam ac luctuosam peccatorum mortem efficiunt. Primum, memoria praeteriti jam elapsique temporis. Alterum praesentis status consideratio. Tertium

tium rerum mox eventurarum metus. Tria hæc
 pessimæ mortis adjuncta sic percurramus, ut altis-
 simis animis defigantur, & ad perpetuam impenden-
 tis mali cautione in præsidio sint.

I. P A R S.

Ac primùm quidem fingite vobis, quod singu-
 lis probè diebus usurpare liceat, fingite, inquam,
 vobis hominem turpissimis quibusque licentioris
 vitæ flagitijs depravatum eâ detineri lecto in suo
 ægriudine, quæ ipem omnem producendæ ulterius
 vitæ ademerit, nihilque præter tristissimam proxi-
 mæ mortis cogitationem objiciat. Dico hominem
 ejusmodi affligendum esse inprimis elapsi jam tem-
 poris recordatione. Tunc enim recurrent animo
 & se se turmatim objicient innumera omnis generis
 flagitia, quibus divinam in se indignationem conci-
 taverit. Videbuntur illa omni affecta turpitudine
 ac scèditate, quam habebant, dum committeren-
 tur: nudabitur, & in apertum proferetur impietas
 simulationum involucris & specie virtutis obtenta;
 patebunt nefariæ libidines, & discussâ caligine,
 cujus in umbrâ latuerant, perturbatam suâ multi-
 tudine ac gravitate animam obruent. In istâ men-
 tis trepidatione quis erit miseri peccatoris sensus,
 quàm grave desiderium; quàm acerbus dolor! Fru-
 stra maledicet opibus ac divitijs, quarum amore
 præpostero perjurus, exactor, impius ac sacrilegus
 evaserit. Frustra voluptates detestabitur, quarum
 inescatus illecebris nullam pudoris ac verecundiæ
 rationem habendam esse duxerit: frustra stultam
 accusabit honorum famem, quos ut assequeretur,
 superbus, invidus, obrectator alienæ famæ, divini
 humanique juris contemptor extiterit. Sentiet tot
 vitiorum monstris nullum impertiri misericordiæ
 locum: suimet ipsius accusator ac testis irati judicis
 sententiam occupabit, & crudelis jam tum sui

tortor ac carnifex acerbissimum sceleratam in animam supplicium exercebit.

Talis olim fuit infelicis Antiochi conditio, cum extremas inter vitæ angustias perturbatus scelerum suorum memoriâ, confectusque luctu ac dolore contabescens in has tristissimas voces erumperet; *Reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem!* 1. Mach. 6. scilicet exanimabat infortunatum Principem impia ac flagitiosa vitæ series; offerebat se violata sacrorum religio, raptæ per summum nefas verendis ex adytis exuviæ, polluta profanis usibus inter meretricios greges, & helluonum catervas templi supellex; contumelijs Sacerdotes affecti, populatæ urbes, desolati agri, vexata supremi Numinis in odium, excruciatâ supplicijs, cæde exhausta ac sanguine Judæa gens; neque in tanto gravissimi luctûs ac desiderij argumento quidquam ipsi præter crudelissimam desperationem superesse videbatur. Quod Antiocho, quod pluribus alijs sacrarum Literarum testimonia contigisse testantur, ut contempti Numinis & traductæ sceleribus vitæ recordatio spem salutis omnem auferret, quàm multis id ipsum evenire quotidie cernimus! Illum vides jacentem in stratis, pallidum, exanguem, confectum macie, vix moventem oculos, vix palpitantem etiamnum, vix spirantem. Circumstant lectum affines, amici, socij quondam fortè libidinum, inanibus perfusi lachrymis, qui suscitare jacentem, recreare perditum, afflictum consolari aggrediuntur. Adest Sacerdos ad latus Crucis imaginem in oscula porrigens, & verba novissima inclamans. At frustra jam ista surdis auribus jaçantur, dum intus vellicantis conscientiæ morsus, præteritorum criminum memoria, & inexorabilis judicis timor bene sperare prohibent. Quamquam, confide, frater, Christi minister subjungit; memento crucifixum pro te Dominum Jesum, totóque exhaur-

stum

flum sanguine, ut salubre tibi lavacrum pararet. Age; attolle deficientes oculos, & in isthæc defige vulnera, quæ misericordiam spirant, & delictorum veniam spondent. Quid hæres dubius? quid moraris? Silet; obmutescit; neque tam potens fiducia incitamentum veteratorem impium excitulat, quem luctus, mæror, curæ, anxietas, desperatio totum jam obsident; qui peccatorum suorum numero, malitiâ, atrocitate perterritus nihil habet quod sentiat, aut loquatur, nisi quod impiorum ille primus ingemiscens exoptulat; *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Gen. 4. Ita quæcunq; valent ad solatium & fiduciam in cæteris excitandam, hæc eadem illi flagitiorum suorum recordatione perturbato luctu ac desperationem afferunt. Arescit ipsi divinæ bonitatis fons uberimus; fructus Crucis, & impensi pro salute mortalium sanguinis sterilefcit; qui latronis preces mansuetus & patiens ultro exaudivit, durum se jam & intractabilem exhibet, nec relinquit quidquam præter tristissimam irati judicis ultionem expectandum.

Eadem tibi calamitas impendet, infelix Adolescentens, si fors olim tui oblitus pariter ac Dei impiorum in semitam declinaveris. Cùm perveneris ad extremam illam rerum lineam, ultra quam progredi ulterius non licebit, tunc sistentur memoriæ tuæ præteritæ delicta juventutis; tot immodesti corporis animique levissimi significationes, quibus templorum sanctitatem violaveris, tot confabulationes impiæ, quibus mysteriorum nostrorum majestatem illuseris; tot sædæ cogitationes, quibus mentem animûmque oblectaveris, tot molles voluptatum illecebræ, quibus alienæ pudicitiae laqueos insidiâsque tetenderis; tot magistri lasciviae & impuritatis libelli, quibus aditum corruptelæ in penitissimas animæ tuæ partes aperueris; tot obscenæ æternisq; obruendæ tenebris libidines, quibus ef-

fratam

frænata^m cupiditatem expleveris. Accedet Sacra-
 mentorum abusus, incuria salutis, gratiarum con-
 temptus, neglecta tam sæpe Dei admonentis, &
 ad meliorem frugem revocantis amica vox. Mox
 perturbatam tam diversâ, tam horrendâ scelerum
 imagine conscientiam personabit justissima Dei ulto-
 ris objurgatio. *Vocavi & renuisti; extendi manum
 meam, & non aspexisti; despexisti omne consilium
 meum & increpationes meas neglexisti; & ego in inte-
 ritu tuo ridebo & subsannabo te.* Prov. 1.

Judicetur enim verò inter me & te, infortuna-
 te Adolefcens; *quid potui facere tibi & non feci?* Isai. 5.
 quominus piè sanctèque viveres, & redemptum tibi
 tot impensis meis ac laboribus in cœlesti patriâ locū
 assequeris? Tu purissimæ religionis ortus in sinu;
 tu parentes natus religiosos ac pios, quorum huc
 primus incubuit labor, ut pueritiam tuam salubri-
 bus documentis imbuerent: adfuere moderatores vi-
 giles ac seduli, qui adolescentiam tuam non seg-
 niùs ad innocentiam morum & amorem virtutis,
 quàm ad literarum studia informarent. Quis fru-
 ctus fuit tam liberalis, tam sanctæ educationis? ni-
 si ut inter validissima quæque probitatis incitamen-
 ta depravari te corrumpique sineres? nisi ut tot in-
 structus ad salutem præsidij, eisdem ad ruïnâ ac
 perniciem abuterêre? Age, quis fuit totius juven-
 tutis color? quis sensus religionis? quis cultus sacro-
 rum? quis licentiæ modus? quibus se finibus im-
 pietas, intemperantia, libido continuere? Ego in-
 terim misertus tui non destiti urgere tacitus ad me-
 liora; percellere identidem juniores oculos fune-
 stis æqualium tuorum exemplis, flagitiosam ex
 omni parte consuetudinem, corruptos distortos-
 que mores coarguere. Quo demum exitu, nisi ut
 ad fatalia corruptelæ primordia novus vitiorum cu-
 mulus accederet? nisi ut inchoatam infeliciter vi-
 tam, infeliciùs multò consummares? Nunc ergo
 quem

quem vivens contempsisti, ultorem ac vindicem moriens experire. *Et ego in interitu tuo ridebo & subsannabo te.*

II. P A R S.

Sed parùm est, Adolescentes, quòd rerum præteritarum conscientia ad torquendam cruciandamque in horâ mortis peccatoris animam incumbat, nisi miserrima præsentis statûs conditio novum doloris cumulum adjiceret. Quid enim est in his funestissimis rerum adjunctis, quod hominem ejusmodi non affligat atque exanimet? Quocùnque vertet oculos, plenam ubique gravissimi luctûs materiem intuebitur. Agite quantus exurget ægritudinis stimulus, cùm circumpiciens adstantes sibi affines, liberos, familiares, domesticos amarissimis omnium lacrymis & acerbissimis gemitibus adinonebitur, disjungi se, avellique ab eorum consortio, & omnem ulterioris deinceps commercij expectationem abscindi? Quibus aculeis pungi sentiet penitissimas animæ partes, cùm divitem se rerum multarum, amplissimorum reddituum possessorem, splendidissimis auctum ac cumulatum honoribus, numerosæ familiæ principem esse ita meminerit, ut rebus istis omnibus valedicere statim oporteat? Quo non ictus fulmine sibi videbitur, quando coactus ingravescentis mali periculo vel medicus, vel sacerdos, vel amicus tristissimam illam vocem suspirans ac gemens deferet, *Dispone domui tue, cras enim, aut etiam hodie morieris.* Isai. 38. Ergo moriendum est mihi, inquiet; spes nulla producendæ ulteriùs vitæ superest? Itane verò sic absumpta salus, sic desperata valetudo, nihil ut à medicis subsidij, nihil solatij ab amicis, nihil ab ijs rebus, quarum ego dominus atque arbiter, præsidij expectandum sit? Nam cur duri & immisericordes spes meas tam refecatis ad
vivum?

vivum? Saltem non impetrabo breves inducias, dum rebus meis providerim, dum rationes composuerim, dum familiæ, liberis consuluerim? filetis? avertitis oculos? subitus vos horror circumstetit? ah! sentio; vestrum me silentium disertè nimis admonet actum esse de me penitus ac conclamatum. O spes breves, vota irrita! ô vitæ fallax amor! sic miserum illuditis? heu! quid egi, cum exhaustum à me tantum laboris est, isthæc ut compararem omnia, quibus in præsentia destitutor? quò pertinnerunt tot vigiles curæ, tot anxietatis sollicitudines, contentiones operosæ, ut assequerer hunc honoris gradum, unde excidendum mihi & in horrendam tumuli caliginem veniendum? hiccine fructus quem fero, hæc merces, hoc præmium impensi per tot annos studij, quo parta sunt omnia, quæ jam amitto?

Neque verò quis miretur, talibus angustiis peccatores, dum moriuntur, esse obnoxios; qui cum nullam felicitatem agnoverint ab eâ, quæ in fructibus huius vitæ bonis posita sit, eadem se orbari intelligunt; qui nullum sentiunt sibi fore deinceps cum iis rebus commercium, quas amaverunt unice, & toto vitæ tempore tam operosè conquiescerunt; qui tumulo proximi vident suam frenari superbiam, coerceri ambitionem, imperium ac dominationem abrogari.

Vos verò statuite, Adolescentes, an amanda perditè vita sit, quam sine gravissimo desiderio dimittere non liceat? an conveniat adherere nequiter fragilibus commodis, quorum jactura dolorem acerbissimum paritura sit? an invidenda videri debeat peccatorum felicitas, cujus tam luctuosum exitum persentitis? Nihil ego vos moror; felices ac fortunati, dum vivunt, peccatores reputentur; habeat illorum conditio illecebras, quæ blandiantur sensibus, & amantes plus æquo sui ineluctabili-
bus

bus laqueis irretiant; at id ipsum quid juvet, si quantum fuerit vita felicitior, tantum mors acerba magis esse soleat.

Ad hæc omnia quæ miseram peccatoris morientis conditionem efficiunt, adjicite novum afflictationis cumulum, morbi ipsius aculeos, deficientis corporis languorem, collabentem totius hominis ruinam, quæ vix seriam aut etiam compotem rationis cogitationem patitur. Tamen quæ spes salutis affulget, nisi ponat in lucro brevem moram, quæ superest, nisi totas animi vires intendat ad excutendam sedulo conscientiam, ad detestanda ex animo tam multa, tam varia flagitiorum genera, ad exuendos rerum illarum affectus, quas amavit perperam, quas amaret etiamnum, si posset? Verum res ejusmodi tam difficilis operæ, cui feliciter perficiendæ longioris vitæ cursus impensus bene censeatur, an peragi momento potest, dum gravatum corpus ægritudine animæ ipsius vim infringit & hebetat; dum rerum præsentium imagine attonita, turbata, percussa mens nihil admittit ultro, quod augeat metum aut dolorem asperet; dum labris errans spiritus domicilium suum jam deserit, dum homo totus fugientis vitæ desiderio luctamen iniquum cum morte sustinet, & ad declinandam fatalem ipsius necessitatem, quodcumque superest, virium impendit.

In hac contentione miserabili, quæ amorem inter vitæ & mortis horrorem exurgit, quis peccatoris infortunati luctum & angustias satis exprimat? Quantum enim cupidius vitam ambit, quam tot illecebræ comitantur, tantum mortem respicit ægrius, quæ perennem ærumnarum seriem intentat.

III. PARS.

Atque hinc oritur ultimum & multo acerbissimum doloris argumentum. Hæc secuturi statim à morte

morte

morte tristissima temporis cogitatio extremam impij morientis calamitati manum apponet. Levis est hic mœror, mihi credite, quem vel rerum præteritarum memoria, vel statûs præsentis recordatio pariet, si cum luctuosissimâ æternitatis ipsius, quam ingressurus est, conscientiam comparetur. Neque verò existimate aliam esse potissimum rationem, propter quam mors peccatorum pessima nuncupetur.

Agite enim; quibus affecta coloribus peccatoris menti se se æternitas objiciet? quis erit sensus illius immensitatis, quæ nullis clauditur terminis, nullis finibus circumscribitur? quanto cum discrimine exhibebitur infinita sæculorum series, cum brevi annorum, quos decurrit hæcenus, spatio collata? Mox reputans secum, quæ fors sua in tantâ temporum vastitate futura sit; quibus ducibus atque auspibus novam prorsus & ignotam regionem adire oporteat; quo pacto excipiendus sit ab eo, qui tam bonæ quàm malæ æternitatis dominus est atque arbiter; qui in alterutrâ conferendam unam meritorum rationem habet; qui precibus non flectitur, non movetur lacrymis; qui nobilitatem generis, opum amplitudinem, honorum magnificentiam, subtilitatem ingenij, eruditionis famam nullo computat in loco; quantam sibi curam, sollicitudinem, anxietatem sentiet accedere.

Ergo excedendum mihi est ex hac vitâ, diceret intra se tacitus, demigrandum est in perpetuum tempus ex hoc mundo! Sed quò sum iturus? quæ me regio, quæ tellus, quis abeuntem ex hoc corpore locus excipiet; quis erit finis ac terminus terrenæ hujus peregrinationis? *Eccl. 12. Heu! quâ mihi æternitatem occidit, subjiciet ille suspirans? Date mihi igitur tempus aliquod, ut me ad difficilem periculosamque viam comparem, ut cogitem tantisper de illâ æternitate, quam mihi jam jam subeundam esse dicuntur.*

is. Nondum reputavi mecum ad hunc usque diem, aut esse æternitatem aliquam, aut certè illam esse ejusmodi, quæ me contingeret. Moram temporis vel brevem impetrare possim, per quam salubres, quantumvis serò, æternitatis cogitationes versare liceat. Sed quid audio? quale fulmen aures personat? quid respondetis mihi, crudeles, duri, immisericordes? *Et tempus, & tempus non erit amplius?* Apoc, 10. Me miserum! tempus non est amplius? ecquando igitur tractabo mente cogitationem æternitatis? Saltem quis me desertum ab omnibus, egenum, spoliatum, inermem tutabitur? quis opem feret? quis consolabitur solitudinem? quis gressum reget? quis stipabit latus? Amici, parentes, consanguinei, liberi, domestici misero succurrite! Nemo se offert, nemo amicam manum porrigit, nemo periculosam æternitatis semitam ingrediendi comes accedit. *Ibit homo in domum æternitatis suæ.*

Qualis verò mihi æternitas imminet? dicite; an felicem, an infortunatam experiar? an inveniam gratiam apud eum, cujus ex arbitrio pendet, vel bonam vel malam æternitatem impertiri? Hoc instat porro, subjiciet, si quis aderit fortè Sacerdos, vel quivis alius occasionem occupans consolandi miserum & suscitandi spem emortuam; hoc instat porro, Præter carissime, eum ut tibi amicum reddas, qui æternitatem utramque dispensat ad arbitrium. Eja! extrema bonæ diei particula ne te prætereat, quin eadem utaris ad salutem. Pœnitentiam age vel feram, dum adhuc misericordiæ locus est, dum paratum habes in Christi Sanguine peccatorum tuorum remedium. Obtestare bonitatem illam infinitam, quæ se placari ultrò & exorari patitur; nec humilis unquã & contriti cordis affectum despexit; præveni, si quid sapias, salubri delictorum dolore tremendum, quod Christus mox factururus est, totius vitæ tuæ iudicium. Heu me! quid loqueris, excipiet peccator,

& qualem incuris metum, dum addere misero fiducia cogitas? scilicet veniendum mihi in conspectum metuendæ Majestatis; standum ante severi Judicis tribunal, exacti inter vivos temporis rationem reddituro? Sed quo pacto feram aspectum & subibo illius oculos? quem offendi toties? cujus iram atque indignationem tot sceleribus atq; flagitijs concitavi? cujus clementiam & plenam humanitate summâ misericordiam singulari pertinaciâ, dum viverem, asperavi? cujus contempfi gratias, neglexi admonitiones, conculcavi Sanguinem, saluferum obitæ pro me mortis fructum nullum esse volui? quæ pars indulgentiæ expectanda ab eo est, qui se tam rigidum ultorem mali, quàm magnificum boni muneratorem profitetur. Ah! parcite inanibus urgere amicum stimulis; cui spes nulla superest. Jam sentio totum æternitatis pondus, quæ me contingit! pars mea inter reprobos, hæc portio mea in sempiternum tempus. Ulciscere injurias tuas ô Deus, immola devotam furori tuo victimam. Vosque, quotquot hîc adestis, exitij mei testes, adcite diligenter oculos, & documentum ex me sumite, quod vobis ex usu sit.

Discite enimverò, Adolescentes, ex hoc morientis impii spectaculo, quò peccatorum felicitas recidat. Num licentioris vitæ brevis usura tam luctuoso sine redimenda videatur? Est hîc aliquis vestrûm, quem molles, quibus peccatores immersi vivunt, deliciæ sic capiant, ut cum ipsis in fatalem pessimæ mortis scopulum impingere non dubitet? Sed hoc quid à vobis quæram, quos tam terribili mortis imagine video perculsos? Nemo vestrûm est, sentio, qui peccatorum mortem pessimam non abhorreat, non excretur, quovis pretio declinandam non existimet. Imò, nemo vestrûm est, qui pretiosam in conspectu Domini Sanctorum omnium mortem non ambiat, nemo qui

non postulet pro se quisque ardentissimis precibus ac votis, *moriatur anima mea morte justorum!* Num. 25. At animadvertite diligenter, Adolescentes, hoc ipsum fuisse, quod orabat olim Baalam impius, quod turpissimi quique peccatores sibi apprecantur, quod & præstolari confidenter non dubitant. Infelices! qui vel nesciant, vel nescire se simulent, non dari cuiquam, ut Sanctorum mortem obeat, nisi Sanctorum more vixerit. Bernardum audite ejusmodi hominum vota, spēsque præcidentem. *Vivat anima tua vitâ justorum, si vis, ut moriatur anima tua morte justorum.* Quamobrem providete omni studio atque operâ; ut quibus esse similes in morte pulchrum & expetendum esse ducitis, eorundem mores sanctissimos, & vitæ innocentiam æmuleturini.



DE

INFERORUM POENIS.

ORATIO XII.

Quis poterit de vobis habitare cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Is. C. 33.

UTinam, Adolescentes Christiani, unus eorum aliquis, qui perpetuis flammaram infernarum incendijs macerantur, sifteret se vobis hodie præsentem ex hoc loco, & ejaculans in unumquemque vestrâ scintillas aliquot illius ignis, quo depascitur, ita sciscitaretur à singulis. *Quis po-*

K 2 *terit*

verit de vobis habitare cum igne deſcorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? Futurum ego non dubitem, quin aſpectus ejuſmodi veſtros animos graviter commoveret, plúſque momenti ad perſuadendum hominis illius unica vox, quàm diſertiffimi Oratoris ſermo prolixior habere poſſit. Tamen ſi quã valemus rerum æternarum fide, quid opus eſt ejuſmodi miraculis, ut nobis ab Inferorum incendijs pertimeſcendum, ut par eſt, ſentiamus? Sufficiet, mihi credite, bene præparatis animis rudior aliqua pœnarum æternarum adumbratio, ut in declinando periculo tam gravi diligentes ac cauti efficiamur.

Verùm de Inferorum ſupplicijs ego dicturus, quid primum loquar, Adoleſcentes, aut quid poſiſimum ſectandum putem? Quocumque mentis oculos intendam, aut ſe cogitationis aſpectus circumferat, terribilis quædam & horrore plena graviffimarũ rerum ſpecies ſtatim ſe offert, & volentem inchoare quidpiam multitudine ſuã atque gravitate perturbat. Hinc video infelices animas ſuaviſſimo Dei omnipotentis conſpectu privatas, quem vidiffe ſumma felicitas, quo caruiſſe ſumma damnatio eſt: Deus immortalis quàm terribile ſupplicium! Inde circumſpicio inextincta flammarum incendia ad torquendas eaſdem illas animas deſtinata: quale tormenti genus, & quanto cum horrore conjunctum! In tantã utriuſque pœnæ gravitate nullus ſe mihi objicit aut modus, aut finis, ſed immenſa quædam æternitatis unjuſ duratio: quantus hinc deſperationis acerbiffimæ cumulus exſurgit. Nulla pars eſt ſuppliciorum ejuſmodi, quæ ſingulari quãdam conſideratione non egeat. Dicamus de ſingulis, quantum patientur conſeſſi nobis temporis anguſtiæ: & faxit Deus, ut ex argumento tam lugubri intelligatis, Adoleſcentes, quàm ſit horrendum in manus Dei viventis incidiſſe. *Heb. 10.*

I. PARS

I. P A R S.

Ac primò quidem, nullum videtur nobis supplicium tam grave, quàm illud, quod ex sola Dei jacturâ oritur, si tales essemus, quales esse nos oporteret, & quales tandem aliquando erimus, cum exuti penitus terrenâ corporis mole nostræ naturæ atque indoli permittemur. Verùm quamdiu corporeis vinculis alligatur anima; ut neque Deum, neque se ipsa satis novit, ita neque ut par est, intelligit, quanti sit Deum perdere, & ab ipsius conspectu suavissimo in perpetuum arceri. *Animalis homo*, inquit Paulus, 1. Cor. 2. *non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Verùm enim verò veniet dies ille, cum intelligemus qualis ac quantus sit Deus; cum infinitas ipsius perfectiones ac dotes cognitæ ac spectatæ habebimus; cum neque supremam illius majestatem, neque pulchritudinem ex omni parte perfectam, neque sapientiam incredibilem, neque bonitatem omnium amoribus dignissimam licebit ignorare. Tum verò quàm magnificus, quàm admirabilis, quàm expetendus Deus videbitur! At neque Deum tantummodo noverit anima, sed intelliget pariter ipsa, qualis sit. Hoc est, sentiet eo se factam fuisse consilio, ut Deo frueretur, neque se felicem ac beatam esse posse, nisi in ipso tanquam in fine suo conquiescat.

Tamen si eodem illo Deo carendum sit; si nulla spes illius unquam, aut possidendi, aut videndi affulgeat, quod erit tam grave supplicij genus, quod Dei privatione mitius videri non debeat? Scilicet rapietur illa toto impetu voluntatis in Deum, extra quem nulla pax, nulla tranquillitas sperari possit. Involare conabitur in tenerimos amantissimi Numinis amplexus, cui adhærere tam bonum est; verùm deprimetur in inferiores terræ partes iniquo peccatorum suorum pondere; arcebitur longiùs ab eâ.

K ;

dem

dem illâ bonitate, quam olim contempserit, & personantes auribus terribiles illas voces audiet; *discede à me, discede.* At quò ibit infelix anima, quam à te sic removeris, ô Deus: quò perget? quò se conferet? ubi bene esse poterit illi sine te? & te semel si caruerit, quis jacturam illam refarciat? An non tu fecisti nos ad te, ô Deus, & irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in te? Tamen repellis in perpetuum infelicem animam, nullam vis esse illi tecum deinde partem: abjicis illam, exterminas, prohi! *quàm horrendum est,* inquit Augustinus, *videre Deum & perdere.*

Atque hæc tam amara jacturæ illius memoria ita infelicis animæ cogitationi obversabitur, ut ab ea nunquam absistat; hoc habebit sibi homo damnatus perpetuò exprobrandum: Deum meum perdidit; & meâ unius factam est culpâ, ut perderim: per me itetit unum, ut ipsius aspectu fruerer, & nolui! Ah! si voluissim, inter suavissimos ipsius amplexus jam versarer! sed ô me stultum ac dementem, castissimæ illi delectationi turpissimam prætulit voluptatem! Hæc cogitatione, stimulis quasi acutissimis, confixus ac punctus damnati hominis animus totam mentis aciem contendet, ut omnem à se Dei memoriam excutiat; ut de Deo non cogitet magis, quàm si nullus in rerum naturâ Deus existeret. Verùm quidquid agat tandem, quantumcumque maceret se se, ac torqueat; ut importunam divini Numinis recordationem eliminet; tantò præsentior aderit ipsi Deus. Imò, imò offeret illi se tortoris instar crudelissimi, & præteriti temporis memoriam refricans, age, age infelix, inquiet Deus; judicetur inter me & te! utrius tandem nostrâ culpâ contigit, ut à felicissimâ mei possessione excideris? Quid ego pro te facere potui, & non feci? quid defuit tibi ex omni parte, quominus tuam in tuto salutem collocares?

Tu

Tu natus ipso purissima Religionis in sinu: tu, promovente sedulâ parentum solitudine, liberaliter educatus; tu nactus optimos moderatores ac magistros, qui dedocerent pravitatis semitas, virtutis viam aperirent. Tu quoties salutiferum mortis meæ fructum inter augustissima mysteria percepisti? quoties refectus mei corporis epulo? quoties sanguinis poculo recreatus? Adde tot illustrationes mentis, tot salubres cordis impulsus, quibus ego te meliorem ad frugem tentavi revocare: adde indultam tam sæpè, post graves ac frequentes relapsus, peccatorum veniam. Tamen tot inter salutis adjumenta excidisti mihi, & in perniciem ultrò volensque corruisti. *Perditio tua ex te; tibi unice imputa, quòd summo tuo bono, summâ beatitudine careas.* Ut erit nihil, unde objurgationes tam iustas confutet infelix anima, ita suum in se ipsam furorem exacuet. Hinc orietur desiderium illud, & plena furore rabies, quam Vates Regius tam feliciter expressit. *Peccator, inquit, videbit, & irascetur; dentibus suis fremet, & tabescet.* Verùm desiderium peccatorum peribit; Psal. 112. inutilis dolor, inanes lachrymæ, futilis desperatio, quæ nullam acerbissimo desiderio medelam afferat.

P A R S II.

Progrediamur ulteriùs, Adolescentes, & ad contemplandam in Inferis novam pœnarum seriem animos intendamus. Hic verò fateor magis commoveri me, quàm antè: adeò varias in partes pertrahunt animum, ac perturbant suppliciorum illorum gravitas, multitudo, diversitas. Quantò hinc ego profitear veriùs, quàm Poëta ille vester de fœtibus suis Inferis faciebat, non mihi si *centum linguæ sint, orâque centum, ferrea vox*, tamen omnia pœnarum nomina percurram, quibus infelices Damna-
torum animæ mancipantur. Agite enim; an tene-

K 4

bras

bras loquar horrendamque caliginem? ignis occurrat! An ignem ipsum sulphureum, piceum, inextinctum, & ad intimas ossium medullas penetrantem? offert se vermis ille, qui non moritur, perpetuus crudelisque stimulus, qui momentis omnibus mentem fodiet, incendat, excruciet! an tristissimam mortem & vitam morte ipsa luctuosam magis: aperient se se, & explicabunt immensa illa aeternitatis spatia, quae nullo unquam temporum fine concludentur. Quid de loci foetore, de immanitate sociorum, de lachrymis, de stridore dentium, de rabie ac desperatione dicam? dicendum tamen: at ita dicendum, ut non astringamur ullo ordine certo argumentorum, sed in tanta perturbatione, quidquid obtulerit se primum, hoc arripiamus tantum, & ad vestram utilitatem perstringamus.

Fingite igitur vobis primum, Adolescentes, in intimis terrae visceribus depressum carcerem, quem lacus ingens undique circumambit sulphure atque igne exaestuans. Hic jacebunt acervatim altissimis cumulis homines infelicissimi, constricti densaque, vix ducentes spiritum, eumque non nisi ex igne ducentes ac sulphure, sordibusque teterrimis, quae hunc in locum tanquam in seninam ac cloacam e terris omnibus derivatae confluerint. Ed ferentur purgamenta faecesque corporum omnium: his odoribus, his suffitibus homines deliciarum amantes vaporabuntur. Adeste animis, Adolescentes Christiani, & quod Bernardus sapienter monet, *Descendite in infernum viventes, ne descendatis mortui*. Animadvertite, quae vobis illic supplicia desinentur, nisi diligentius impofterum, quam forte fecistis hactenus, a peccato lethali caveatis. Neque enim in illo suppliciorum loco peccatum erit ullum, quod poenam vacabit suam; sed prout quisque peccaverit, ita pares peccatis suis poenas patietur.

Illic homines luxu & mollitie perdit, sacrificuli ventris & abdominis, epulones fastidiosi, voluptuarii potatores, pro dulcibus poculis, pro exquisitis dapibus, picem accensam, fluidum sulphur, liquatum plumbum potabunt largis haustibus. Flagitabunt illi, ut Evangelicus epulo aquæ guttulam ardentibus faucibus, neque illis in æternitatem omnem concedetur.

Hic Adolescentes lascivi, qui ad picturas turpes, ad libros obscenos, ad omnem impuritatis speciem oculos adjiciunt; qui aures à lutulentis sermonibus, à lubricis colloquijs, ab inficetis carminibus non temperant, dignas inverecundâ curiositate pœnas luent. Illi oculi damnabuntur perpetuis fletibus, *ibi erit fletus*, Matth 8, dicit Dominus; damnabuntur sempiternis tenebris, idem Christus adjicit, *mittite eum in tenebras exteriores*; Matt. 22. quæ tenebræ dabunt funestissimi luminis tantum, quantum erit satis ad intuendas immanes monstrorum formas, ad infames flagitiorum comites atque auctores contemplandos. Illæ aures patebunt horrendis ululatus ac rugibus dæmonum, perpetuis in Deum convicijs ac maledictis, perrennibus sociorum opprobrijs onerabuntur.

Attu, delicatule, effœminate Juvenis, qui cuticulam curas tam operosè; tu; si quis esses tamen ejusmodi, qui turpissimum corpus in omni voluntas dedecore, qui confectaris infames delicias, qui voluptates vetitas omni ex parte cupidius venaris, nefarijs par libidinibus supplicium expecta. Illam cutem, carnem illam, æternæ rotæ, æternæ cruce, æterni aculei torquebunt. Ardebunt illa membra sempiternis ignibus, quæ jam ardentissimæ impuritatis facibus accendis. Nulla pars corporis illius spurcissimi non cruciabitur doloribus acutissimis, sævissimis incendijs non æstuabit. Penetrabunt flammæ artus omnes, medullasque ipsas atque ossa

intima pervadent. Instabunt insuper flagellis ac scorpionibus tortores sævissimi, neque momentum ullum à supplicio vacuum præterire patientur.

Neque sua pariter pœna deerit superbis hominibus, qui gloriam ventis omnibus aucupantur, qui honore quodam futili posteriora ducunt pietatis ac religionis officia. Hi lacu in imo abjecti depressique, ab omnibus sprete, ab omnibus crudeliter illusi, superis inferisque despectissimi jacebunt simul; in fascem unum colligentur superbi omnes, ut iisdem defflagrent ardoribus, pœnis iisdem torqueantur.

Quantum verò ardebit quisque, quæ mensura suppliciorum erit? Audite B. Joannem in Apocalypsi c. 18. sic loquentem; *quantum glorificavit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Sic est, Adolescentes; quantum honoris quisque vestrùm contra legem Dei quæsierit, tantum & ipsi suppliciorum irrogabitur; quantum deliciarum gustaverit perperam, tantò etiam vividiores flammæ experietur. Hæc vobis sæpè cogitatio subeat, cum laxiorem ubique viam & molliorem conquiritis; cum vestra commoda ambiciosius sectamini; cum anhelatis ad omnem voluptatis occasionem; dicat sibi unusquisque vestrùm; quid ago infelix? incendium augeo quo adurar, supplicia mihi nova quæro, quibus excrucier. *Quantum in delicijs fuit, tantum & illi date tormentum ac luctum.*

Sed quid ego hic cætera Inferorum supplicia operosius perfequor. Unum illud videor prætermittere, quod reliquis gravius atque intolerabilius reputandum est. Vermem illum intelligo, qui non moritur, & qui æternitate totâ damnati hominis conscientiam rodet. Hic erit tortor domesticus, qui excuti non poterit, qui adhærescet semper tenax & individuus comes, qui accendet ipse flammæ, irritabit incendia, supplicia omnia vehementius

tiùs asperabit. Quoties, inquiet ille, sacris imput-
sibus ad institutum vitæ sanctioris agi te ac prope-
modum rapi sensisti? jam demum luis duritiam
cordis tui, quam nulli aspirantis gratiæ motus in-
flectere potuerunt. Quoties harum terrore flam-
marum percussus & meliorem pollicitus frugem,
ineundam à te arctam viam juraveras? das tandem
pœnas, miserrime, qui divinæ hæc munera tam ni-
hili feceris. Quid defuit tibi, quominus castus ac
pudicus esses? Poteras hunc Deo florem integrum,
intactumque servare; pende jam pœnas pro exi-
gua & caduca voluptate. Quid luges, qui hæc tibi
tormenta paraveris? qui malorum omnium auctor
unus extiteris? an non prædixi centies hæc tibi,
dum viveres? jam arde his ignibus quos tantopere
amasti, arde sine spe, sine solatio, sine lenimento,
sine ullâ finis expectatione.

III. P A R S.

Ad ultimum pertingimus calamitatis comple-
mentum, dum æternam fore in Inferis suppliciorum
seriem profiteamur. At quantum illud unum est,
Adolescentes, etiam si cætera omnia levia videren-
tur! Imò & hoc ipsum contemnat per me licet, si
quis est, qui complecti cogitatione possit, quid sit
Æternitas. O vocabulum omni terrore gravius,
igne sævius, tormentis quibuscunque immanius!
Certè humanis in rebus nihil tam asperum occurrit,
quod non speretur mitigari posse; offerunt se in-
commoda multa, sed nullum est eorum, quod exi-
tum aliquem non habeat. Homines videmus mor-
bis acutissimis confictatos, jacturam rei familiaris
honorisque passos; sed nihil est tam immedicabile,
cui finem vel melior fortuna, vel mors saltem ipsa
non afferat. At Inferis nihil se objicit nisi infandum
& exitiale, neque terminus uspiam ullus reperitur.
O ignis voracissime, inquiet damnati infelices,

nua-

nunquámne in nihilum nos rediges? O mor si nunquámne aderis: aut potius quæ præsens es semper, nunquámne nos interimes? O sempiterna mors! ô semper vivere, & nunquam vivere! Cogitant sæcula, replicant sæculorum multitudinem innumerabilem, cùmque eò pervenêre numerando, quod ne capere quidem ipsi possint, nondum, exclamabunt, nondum ingressi sumus curriculum æternitatis! *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, inquit Joannes Apoc. 15. nec habebunt requiem die ac nocte.*

Quid restat, Adolescentes, nisi ut rursùm à vobis petam cum Isaiâ, *quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* quis? éstne, qui tantum fidat viribus suis? qui putet intrepidè se atque alacriter adire flammâs illas posse? Hujusmodi si quis esset, eum ut convincerem, non rotas expedirem, non equuleos, non cætera tormenta instituerem, quæ tamen cum supplicijs Inferorum si comparentur, deliciæ censerî possint; hunc juberem tantùm ad candelæ lumen digitum admovere, immotùmque tenere ad tempus brevissimum; non faceret; aut si admove-retur invitus, ut exclamaret, ut refugeret! ut manum continuò retraheret! sed nemo est certè, nemo tam præfracti animi; interrogantq; mihi cum Isaiâ, *quis habitare poterit de vobis cum igne devorante,* omnes audire mihi videor profitentes intolerabilem esse ignem illum, intolerabiles tenebras, vermem intolerabilem, æternitatem nullomodo tolerandam. Hoc si ita est, Adolescentes, cur non adhibetis omnem opem, operamque, ut hos ignes, hæc supplicia fugiatis? si quis est, qui parem se putet his doloribus exantlandis, easque sibi vires esse confidat, quibus possit incumbentem Dei ipsius ultoris manum facile ferre, is quidvis audeat, per me licet: pietatem habeat susdèque, pudicitia non parcat, quidquid blandiuntur voluptates omnes, quid-

quidquid cupiditates suadent, arripiat, nihilque religioni ducat; at, qui fateatur ultrò timere se ignem devorantem, neque eâ esse constantiâ, ut habitare cum eo possit, is scelere ullo lethali se inquinat? is latam spatiosâque peccatorum viam ineat, quæ ad flammâs illas rectâ deducit? dementia est! furoris est!

Alterum à vobis cum Isaia quæram, Adolescentes; *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Non jam dico, quis poterit, sed quis reipsa cum ardoribus sempiternis habitabit? Quis vestrum Inferorum ad flammâs est destinatus? quis per æternitatem omnem ardebit? In promptu est, quid respondeam. Vultis audire, vultis designem intento digito, qui sint ad æterna supplicia divino iudicio damnati? Quidni verò hanc infamiam hîc subeant, qui eâ sunt aliquando in confesso populorum omnium notandi? quidni eos designem, ut, si perire juvat, pereant saltem uni, ab iisque tanquam à faxis periculossimâs, quidquid integrum est, purumque declinet? Quis ergo habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? quis? tu, flagitiose Adolescentens qui licentioris vitæ consuetudini indulges; tu inquam, ni resipiscas, habitabis cum ardoribus sempiternis; tibi hæc parata supplicia sunt nisi serio, constantique studio ignes illos pestiferos, quos tuo in sinu accendisti, nitaris extinguere. Quis, rursus peto, habitabit cum ardoribus sempiternis? Tu qui alienæ pudicitie captiosus, obscenisque verbis insidiaris; tu qui exempli pravitate tam multos corrupisti! tu qui turpi in otio & longâ in desidia consenescens omnibus in animam tuam vitijs aditum reclusisti; tu qui recidivis flagitijs consuetudinem malam magis ac magis roboras & confirmas; tu qui nullo rerum piarum sensu, nullâ Sacrorum reverentiâ divinis mysterijs assistis; tu
qui

qui vocanti Deo jam diu non pares, & à vitiorum
femita retrahenti non obsequeris.

Quamquam ah! potiùs, quotquot estis, vos
honor atque obtestor, per JESU Christi sangui-
nem, qui extinguendis Inferorum ignibus effusus
est totus; per salutem vestram, per amorem quem
habere vos decet fortunatae aeternitatis, extirpate se-
dulo malas vitiorum fibras, quae vestris cordibus
increverunt, ut mundi toti atque expurgati aeterno
Dei conspectu in caelesti patriâ frui mereamini.



DE OTIO.

ORATIO XIII.

Fili conserva tempus, Ecclesiast. cap. 4.

REdeunte, uti fert mos pristinus, studiorum
curriculo, quibus & diligenter excolendis,
& prudenter moderandis Deus Optimus Ma-
ximus me addixit: nihil ego vel ad injuncti mihi mu-
neris rationem melius, vel ad utilitatem vestram
accommodatius, vel ad ipsam DEI omnipotentis
gloriam potiùs esse duxi, quam si bene collocandi
in studendi exercitatione temporis auctor hodie at-
que adhortator accederem. Id verò dicendi argu-
mentum arripui eò lubentiùs, Adolescentes Chri-
stiani, quòd debellandum hostem aggredior aetati
vestrae tantò periculosum magis, quantò minùs vi-
deri solet metuendus.

Nam quis, vel inter eos, qui studiorum labo-
res ultrò suscipiunt, tanti putet prodigium esse tem-
poris? quis se, dum accedit ad ablueudas in Sacra-
mento

mento flagitiorum sordes, accuset otiosum fuisse identidem? Quis desidiosam ex omni parte vitam in gravioribus adolescentiæ piaculis numerandam arbitretur? Et tamen quis deplorare pro rei dignitate possit, quantam genus id vitij vestri labem ætati, quàm gravem moribus corruptelam, quàm exitiale saluti ipsi detrimentum afferat?

Sinite me igitur insidiosissimum juxtà & infestissimum retegere vobis scopulum, ne ad eum allisis miserabiliter tristissimum facere naufragium contingat; sinite me, juratum non tam eruditionis bonæ, cujus promovendæ studium experimini, quàm vestræ integritatis hostem acrioribus urgere stimulis, & me de inertiori otio differentem sic audite, ut ad extirpandam penitus pestem illam, si quem jam infecisset, vel ad eandem declinandam certè strenuam, virilémque diligentiam afferatis.

Atenim, inquires, quid est in Otio, quod infesteris tantum? vel quid mali tandem otium importet, nisi fortè jacturam aliquam temporis? nihil ergo perire tibi putas, dum tempus perit? Non tu malorum in numero rei omnium pretiosissimæ damnum reponis? Atqui id scito, quisquis es, Otium, vel si id unum incommodi ferat, quòd pariat dispendium temporis, hoc ipso nomine Adolescenti Christiano esse omni ope fugiendum; quod erit Orationis pars prima. Addam, & illud alterâ, quantumvis alienum ab opinione tua videatur, fieri omnino non posse, quin otium multorum fons vitiorum & Origo sit. Utrumque quantam habere vim oporteat, ad excitandam in unoquoque vestram actuosam diligentiam, breviter intelligite.

I. P A R S.

Quanti sit inter res cæteras pretij tempus illud quòd ducimus, significavit ipse satis rerum omnium artifex Deus; qui, cum in genus hominum quid-

quid

quid cœli terræque ambitu continetur, plenâ ac prædigâ, ut sic loquar, manu bonus effuderit, unius parcus avarûsque temporis visus est. Nam cur, amabo, tam multas divisit illud in partes, ac veluti fecuit in portiunculas, quas alias tantum post alias nobis impertiret? nisi ut intelligeremus summum esse divinæ liberalitatis munus, momenta temporis singula, ac, nisi per sinceram, legitimamque partem cuiuslibet usuram, ulterioris deinceps spatij fiduciam exhiberi.

Quantulum est enim verò, quod in longa illa serie temporum vindicare sibi pro jure suo quis possit? Quod elapsum semel tempus est, non est amplius cuiusquam in potestate: quod futurum aliquando præcipitur, illud, quanquam præstolari liceat, nullus audeat tamen sibi certò polliceri. Unam igitur, quam habemus in præsentia, moram temporis, hoc breve spatium, quo spiramus, solam hanc diei bonæ particulam, quæ vix concessa nobis statim dilabitur, nostram dicere, usurpare quasi propriam, & in usus vel bonos vel pravos contere-re ad arbitrium possumus. Divitias miseras, Adolescentes Christiani!

Quamquam quid miseras dico, aut quid divinæ liberalitati usque ad eò videor injurius? Divitias imò fortunatas, quibus summum, infinitumque comparari bonum possit! Hæc etenim, quæ nobis impertitur, copia temporis quantumvis exigua, præ-tium Æternitatis est: hac mercede redimitur felicitas nunquam cessatura; hoc uno pignore fruendi tempus in omne divini Numinis facultas impertitur. Ponite vobis ante oculos unumquemque sanctissimorum hominum, qui vitæ hujus defuncti periculis inter immortales delicias felix ævum jam traducunt; quærite diligenter à singulis, quibus tandem gradibus ad cælum ascenderit; eritne unus eorum aliquis, qui datas sibi ab omnipotente Deo particulas
quas

quasque temporis, æternitatis ipsius lucro appositæ non ostendet? qui beatos illos ac florentes dies, quos transigit, bene actis in vitâ momentis brevissimis non debeat? qui pondus illud immensum gloriæ, quâ fruitur, non conflaverit, decisæ ævi fluentis ex portionibus, eisdemque, totidem veluti margaritis, impositam capiti coronam non ornaverit?

Vide ergo, quisquis vel otiaris desidiosè, vel rebus alijs intentus, quæ ad officium non pertinent, tempus malè perdis, quantum quid majus opinione momentique majoris tibi depereat. Dum enim tempus amittis, quid aliud facis, obsecro, nisi vitam ipsam amittis, nisi beatitudinem abjicis, nisi æternitatem totam, quanta quanta est, vilipendis, ac pro nihilo æstimas? Atque hoc tempus, infortunata Adolescens, cujus hodie jacturam tam facilem ducis, desiderabis olim amissum, cum ad eas veneris angustias, quibus brevis temporis induciæ mederi possent. Diem aliquem ex illis, quos molli in otio turpique desidîâ contriveris, postulabis votis omnibus ac lacrimis, & diem illum fortè non impetrabis. Horam tibi unam impertiri ad detestationem peccatorum, ad expiationem scelerum, ad veram sinceramque cordis mutationem optabis, & tempus & tempus fortè non erit amplius.

O si intelligeretis, Adolescentes charissimi, quam acerbo animi sui desiderio requirant, ac lamententur tempus amissum, quotquot sempiternis ignibus justus omnipotentis Dei furor addixit! ô si videretis eorum lacrymas, audiretis gemitus tristissimos, lamentabiles omnium querelas exciperetis! Accedite animis, amabo vos, & penetrate, quantum fieri potest, cogitatione mentis vestræ usque ad profundas inferorum voragines, ubi miserabiles illæ victimæ miris quidem, sed veris cruciantur modis! subsistite paululum, adeste cum silentio, date

L

aurea

anrem. Quid doletis, infelices animæ? quid lugetis? quid lamentamini? Tempus amissum, inquit, tempus amissum. Quid optatis? quid petitis? quid precamini? ecce unam omnium vocem audio: temporis momentum! O si impetrare, o si habere fas esset momentum temporis!

Educamus enim verò ex illis subterraneis specubus, ex ergastulis ignitis, ex tenebris horrenibus, adducamusque animam unius alicuius Adolescentis, cui molle atque iners Otium exitii causa extiterit ac ruinæ. Siliamus illam ante eorum oculos, qui mensæ ipsos, annos integros, totamque ad eò adolescentiam nugis conterunt; qui abjectis pietatis Christianæ officii scholasticòque peno neglecto, à primo mane usque ad vesperam perpetuò oscitantur; qui libros deferunt veluti pondus quoddam Ætæ gravius, qui conclusi in musæo, vel in schola tanquam in ergastulo, subsellis suis, tanquam crucibus quibusdam affixi, peregrinantur interim animo, vagis peregrinisque cogitationibus atque inanibus figmentis, utinam non turpissimis, mentem pascunt; qui studiorum omne genus quasi crudiores cibos fastidiunt. Siliamus, inquam, animam illam eorum in conspectu, qui in desidiolo turpique vèterno consensescere volunt, quasi nunquam in crimine morituri.

Illam videre mihi videor infelicem animam, emergentem de tenebris suis in hanc lucem, spirantem incendia, flammam anhelantem, & voracissimam undique ignibus circumseptam: illam audire mihi videor (contemplamini vos attentius) in has tristissimas voces erumpere: Ah! me infelicem, cui momentum unum temporis satis ad pœnitentiam esset, & negatur! infeliciores vos, qui tantam temporis copiam temerè profunditis! Aderit dies, (putet unusquisque vestrum nominatim se ab animâ illâ compellari) aderit dies, cum momenti huius, quod nunc fluit, iacturam æternis mecum gemitibus lamentabere!

Perit

Perit heu ! tibi , quod meis , quod damnatorum omnibus ignibus extinguendis sufficeret ! quod si ad pœnitentiam concederetur , nulli jam essent Inferi , cessarent incendia , disrumperentur cruces , evanescerent equulei , tormenta omnia quiescerent ; cujus redimendi si facultas foret , longissimis afflictionis cujuscunque doloribus commutatum vellem : sed nunquam dabitur ! mihi tempus effluxit omne ; una æternitas tota exhaurienda superest . Tamen momentum quæro , dum annos integros perdis : da , da , Adolescens desidiose , vel momentum ex illa profuentia temporis ; momentum unum ab aliquo vestrûm impetrem tot inter dies , mensésque , quorum estis prodigi . Sed heu ! quò relabor ? ô æternitas temporis indiga ! ô mortalitas temporis prodiga !

Ite , ite , dividite in bonis dies vestros , temporî ne parcite : mihi quoque olim , uti jam & vobis , levis ejus jactura visa est : nunc verò amissum lugeo , æternûmque lugebo . Amisi , quemadmodum nunc amittis tu , cui sordent literarum studia , qui ludum deperis , qui , ex quo te in Otium effudisti , factus es in omni vitæ parte licentior , qui brevî ex illa Otij vacuitate , in teterrimas vitiorum sordes demergêris ; qui animam tuam nostris ignibus jam oppigneris ! Sed satis diu infelix anima aspectu tuo dirissimo , horrendisque vocibus exterruisti nos . I detestabilis , I temporis quondam stultè prodiga ; repete antra illa immania , in quibus nulla unquam tibi pars temporis , nullus temporum finis imperietur .

At vos videte porro , Adolescentes , quem tandem ex ijs fructum capiat : pensate vobiscum , num tam leve videri debeat dispendium temporis , ut si unum id incommodi ferret Otium , tamen omnî cautione fugiendum illud non æstimetis ? Heu ! quàm multi hac ipsâ horâ , hoc ipso momento divinum

ad tribunal iudicandi sistuntur, qui profusionem temporis lugere incipiunt.

Sed quid Ego diutius immorer in persequendo malum illud, quod omnium est, quæ parere Otium solet, longè levissimum. Progrediamur ulterius, Adolescentes, &, quot ex illo venenato fonte rivuli corruptissimi profluant, quot infelices rami ex arbore illa funestissima procreentur, videamus. Sic est enim verò: fieri omninò non potest, quin Otium multorum fons vitiorum & origo sit: hoc porro superest alterâ Orationis parte demonstrandum.

II. PARS.

Agite verò, excutiamus diligentius vitam alicujus Adolescentis, qui, cum strenuam ac sedulam studio Literarum operam, quemadmodum postulat ejus officij ratio, navare deberet, turpi se Otio, corrumpi ac depravari pariat. Dic mihi, quæso, Adolescens desidiose, si quis hîc esses hujusmodi, quid agis statis illis ac designatis studio temporibus, dum à studendo abstines? Tene meditandis ac perpendendis rerum æternarum momentis occupatum affirmabis? Tene flagitare enixis precibus divinam opem, vel pios libros curiosis pervolutare oculis causabere? Tene charitatis operibus, in visitandis ægrotis, in consolandis afflictis ac mœrentibus distentum excusabis? Tamen, licet hoc faceres, nescis quàm sine fructu, quàm nullo salutis emolumento ejusmodi officijs indulgeres; reprobante scilicet Deo isthæc intempestivæ servitutis obsequia, quæ nec exigit à te in præsentia, nec habere accepta potest, dum studendi laborem, quem jubet imperiis, negligis?

At enim id credam te consecrato Literis tempore ad exercendum bonum opus quodpiam abuti, dum te in ijs, quæ ad Deum pertinent tam remissum,

tam

tam somnolentum, quàm in pertractandis studijs desidem animadverto? Quid agis igitur, iterum peto, Adolescens otiose, quid agis, quando non studes? si te cogitare prava, moliri turpia, pudendis operam dare facinoribus dixerò; reclamabis continuo, innocentem te, castum ac pudicum affirmabis. Esto: nihil refecare ad vivum placet: demus hoc tibi, talem te revera esse, qualem profiteris; quippe nondum penetravit altiùs vis mali, & adhuc res tuæ in integro sunt. Nunc ergò, ut ad eluendam, quàm jam aspersus es, desidiæ labem alacrior accedas; intellige, quibus tandem gradibus ab inerti Otio, ad summum nequitiae barathrum Adolescentia devolvatur.

Ab alienatus à studijs fastidio quodam ac satietate adolescentis animus incipit postmodum, & in rebus pijs languescere, eumque sentire teporem, quem in studio Literarum jam dudum experitur. Non jam eam, quàm solebat, attentione mentis atque reverentiâ preces Deo fundit, sed oscitanter, sed vago nullòque animo secum immurmurat, vel contrahit, vel etiam omittit: hebescit sensim ac pedetentim gustus ille suavissimus, quo in frequentandis divinis mysterijs perfundebatur simul, & ad implendas injuncti sibi muneris partes accendebatur. Interim fides nutat, spes trepidat, charitas refrigescit. Nihil lætitiæ spiritualis ex sacrâ mensâ, nihil ex Pœnitentiæ Sacramento solatij percipit: mox ab illis divinæ gratiæ fontibus ac canalibus recedit fastidiosus; Ipsum Mariæ nomen nihil blandum insonat auribus, & quam omni studio ac pietate demerebatur, obsequium ejusdem tanquam jugum intolerabile refugit ac declinat. Quid multa? fastidio postmodum tepor, tepori levitas, levitati immodestia, immodestiæ demum ipse rerum divinarum contemptus succedit.

L 3

Nihil

Nihil hîc dico, Adolescentes, quod terribilis quædam, & frequentior, heu! quàm par sit experientia non comprobet. Vos ipsos testes appello: repetite memoriam præteritii temporis: si quis vifus olim inter vos præter cæteros remiffus ac defes in studendo, an non ille solebat esse pariter in ijs, quæ ad Deum pertinent, languidus plûs æquo ac tepidus? si quis ob negligentiam domi, ob levitatem in scholâ increpandus videretur; an non & idem propter irreverentiam in templis, immodestiam inter orandum, difficilem se, molestum, atque importunum exhibebat? tanta est aded, tam individua pietatem inter atque studendi diligentiam consensio, ut quisquis ab altera recesserit, ab altera continuò eundem deficere oporteat!

Jam ubi remisit semel pietatis sensus liquidior, & voluntaria quædam religiosæ mentis in res divinas propensio, quæ juventutis unicum contra morum corruptelam præsidium, unicum adversùs omnes mali vel incurfus, vel insidias propugnaculum est; mirum, si desidiosus adolescens quibuslibet ætatis illius scopulis impingat miserabiliter, & ad eosdem horribilem in modum frangatur? Nam cum ea sit humanæ mentis indoles, ut otiosa penitus non possit esse, sed aliquâ semper occupatione egeat, quâ, veluti pabulo quodam reficiatur identidem ac sustentetur; sentitis, Adolescentes, etiam me tacente, quid occupare necesse sit juvenis animum, quem tam Literarum, quàm pietatis fastidium ceperit: perspicitis, quibus pateat incommodis, quàm multiplex vitiorum genus incurrat. Nugis perennibus, ludo, damnosis lectionibus, societatibus perniciosis, & licentiori necessariò vitæ inferviet. Ludi furor, scitis, quæ non in mala miserum adolescentem præcipitet, si quando ipsius animum invaserit: à ludo nimirum omnis fere juvenum corruptela ducit initium. Hîc enim junguntur fa-

milie

miliaritates aleatorum, quorum ingenio nihil est licentius, & à bonis moribus alienum magis. Hic pejerare; hinc impias & sacrilegas voces fundere adolescens docetur: hinc pecuniâ emunctus suâ mille excogitat, & machinatur artes corrogandi aliam per fas & nefas, quam temere rursus effundat ac dissipet.

At quoniam nec ludere perpetuò, ut multùm velit, nec declinare licet quædam tempora, quibus, quantumvis studendi voluntate careat, habitare secum in musæo solitarium oporteat: quid faciat in his angustijs adolescens otiosus, qui nec studendi laborem ferre potest, nec vagandi foris, aut confabulandi licentiam habet? quo demum pacto longiorem & nimis importunam temporis moram fallat? Librum evolvat aliquem, quod unum in promptu est, ad sublevandum molestioris tædij fastidium. At quale par est amari ab eo librorum genus, qui tam pietatis osor, quàm eruditionis bonæ factus fuerit? vel quid titillare possit curiositatem adolescentis ejusmodi, nisi quod pravum, turpe & obscænum sit? Igitur miretur nemo, si juvenis otiosus nulla ferat manibus volumina, nisi quæ pudorem violent, & bonis moribus labem illinant; si amatoria opuscula, lascivas fabellas, liberiores jocos, mimicos & obsoletos sales rimetur cupidius, & suavius degustet; si nunquam vincere laboris odium videatur, nisi cum lutulentus & inficetus liber objicitur.

Hinc verò quanta perniciēs integritati atque innocentia! ut tenera mens, quæ naturâ suâ in vitium flecti cerea est, maximè si nullo timoris divini repagulo coercetur, impuras obscenitatum omnium impressiones altè imbibit! ut curiosè multorum scelerum, quorum vel nomen hæcenus ignorat, notitiam ambit, ac perquirat! ut brevè turpissima quæque non refugit admittere, quæ legerit ab

alijs factitata ! frustra reclamaret interim conscientia, & periculi magnitudinem objiceret: jam obduruir dudum arcanis illis motibus, qui revocare adolescentem possent ad meliorem rugem. Otium nempe, quo diffluit totus, omnem bonis desiderijs obstruit aditum; aut, si qua suboriantur identidem, statim enata suffocat. Tum quasi sibi ipse non sufficeret ad ruinam solus, alios adjungit sibi nequitia comites, qui currentem ultro incitent, & ad perniciem festinanti stimulos adjiciant. Videasingere se se in eorum societatem ac familiaritatem, quibuscum vivere liberius putet, & parum castos agitare posse sermones, quibus & vitiatos concredere cordis infecti sensus nihil metuat.

In hoc perditorum Juvenum consortio, qui nihil præter impietatem ac libidinem spirant, quas non ad artes malè fingitur miserimus adolescens? qualem ex tali disciplina scientiam reportat? Hunc verò gradum ubi semel attingit, jam ductore non eget: ruit ipse per omne facinus impellente nemine, & longâ feriandi nequiter, peccandique consuetudine factus in dies deterior, nihil est tam alienum à bonis moribus, ad quod facile non descendat, atque adeò fecisse gloriatur.


Obstupescitis, sentio, ad tantam tamque immanem adolescentiæ corruptelam; vixque adeo fieri posse creditis, ut quis ex Otio tam perditus, tam depravatus evadat. Hoc tamen existimate verum esse, quod dico; atque illud retinete memoriâ sapientissimi juxta ac sanctissimi viri effatum; Portentum est, Adolescens desidiosus ac castus!

Videte igitur, Adolescentes optimi, quo tandem esse vos animo in studia Literarum oporteat! quàm meritò moderatores vestri studendi naviter necessitatem tam sæpè vobis inculcent; quàm prudenter in istud evigilent, ne quid mali & inertis

Orij

Otij vestros in labores irrepit. Nōrunt illi nimirum, non agi modò eruditionis ac doctrinæ rationem, quam vanam & inanem Otium efficit, sed conscientiæ integritatem, morum innocentiam, ipsam animæ vestræ salutem in apertum discrimen adduci.

Quamobrem oro vos etiam atque etiam, per eum quem habere debent Adolescentes ingenui, ac piè liberalitèrque instituti, quales estis vos, cujuscumque pravitatis horrorem; per studium tuendæ pietatis atque innocentiae, per salutem vestram, quâ nihil debet vobis esse antiquius, fugite diligenter ab Otio. Hostem illum, perditoremque temporis, infamem virtutum omnium scopulum prudenter declinate: ac si quid fortè illius veterinosæ labis vestrûm cuiquam iniustum esset, totum illud sic expurgate; ut, quem Deus à vobis repetit, strenuum deinceps, diligentemque in Literas animum afferatis.



DE PROMO VENDIS
DILIGENTER
STUDIORUM
LABORIBUS.

ORATIO XIV.

*Erudire, ne fortè recedat à te anima
mea. Jerem. 6.*

ET si quæ diximus nuper de Otio effectisque illius tristissimis, eam habere vim debent apud animos

mos

mos unjuscujusque vestrūm , ut bene collocandū in Literarum studio temporis necessitatem demonstrent ; tamen non possum mihi hodiēque temperare , Adolescentes Christiani , quin eidem argumento novum aliquod pondus adjicere , novam afferre lucem aggrediar . Neque verò pertimescendum putem , ne , dum singularem inter studendum diligentiam vobis rursūm inculco , id vel alieno tempore facere videar , vel consecratam rebus pijs bonæ diei particulam defraudare . Aded non aliā re magis promoveri puto in vobis posse pietatis atque innocentiae studium , quā si incredibilem quandam discendi , proficiendique in Literis cupiditatem singulorum animis ingeneraverim .

Atque utinam , quod longiori rerum usu habeo comprobatum , persuadere id vobis possim , tantam esse hac ætate vestrā pietatis atque innocentiae , cum studio Literarum consensionem , ut quantum de studendi diligentia detrahitur , tantum de fervore pietatis morūmque integritate depereat . Verūm quia id ipsum tractavimus jam fusiū , aliam hodie inire viam statui , ad suscitandam in vobis actuosam diligentiam , & novam inter studiorum labores alacritatem stimulandam . Geminum propono vobis diligentiae incitamentum , singularis utrumque efficaciae , siqua divini obsequij , siqua utilitatis vestrae ratio vos moveat . Postulat hoc à vobis Deus , cui nihil gratum magis ac acceptum sit , quā si strenuum ad Literas animum afferatis ; hoc primum . Id ipsum vestra salus exigit , cui promovendae nihil esse possit utilius , quā si adolescentiae vestrae tempus in studio feliciter conteratis ; hoc alterum . Utrumque breviter expendamus .

I. P A R S.

Ac primūm quidem statuo , nihil praestare vos posse , quod gratum & acceptum magis Deo sit , quā

quàm si diligenter studueritis; quamobrem id dicam, intelligite. Atque ut ne vos morer, quæro à vobis, Adolescentes; quam putatis propositam esse singulis hominum optimam placendi Deo rationem? Illam opinor, si obsequentes se in omnibus divinæ voluntati, & in ijs præsertim, quæ ab unoquoque potissimum exigit, obtemperantes exhibeant. Nempe eâ re totâ perfectioris ac sanctitatis humanæ ratio continetur, ut homini voluntas cum voluntate Dei planè consentiat, eoque solet esse illa illustrior, quò firmitus atque arctius fuerit divinam inter & humanam voluntatem necessitudinis vinculum. Tantò igitur placebitis Deo magis, Adolescentes, tantò promptiores ad obsequendum Deus vos inveniet; quantò præstabitis illud accuratius, quod in præsentibus temporum, rerumque adjunctis à vobis maximè ac singulariter exigit.

At quod est illud obsequij genus, quo vos commendare magis apud Deum liceat, nisi ut constanti & assiduâ animi contentione in studia vestra incumbatis? Quid jam à vobis Deus singulariter postulat, nisi ut abjectis rebus cæteris strenui ac diligentis Scholastici partes omnes alacriter obeatis? Quæ sunt porrò Scholastici partes, & quibus officijs Scholastici nomen conditióque designatur? Scholasticum intelligimus, qui seclusus à reliquis vitæ hujus occupationibus uni rei literariæ operam impertit: cujus consilia, contentiones, studia, labores, tota denique sedulitas ad eum finem dirigitur, ut in Literis proficiat; cui nihil tantam laudem ac gloriam afferre possit, quàm si doctrinæ & eruditionis famâ floreat.

Hæ sunt omnino partes ætatis, conditionisque vestræ, Adolescentes; his limitibus atque terminis circumscribitur, quidquid Deus pro jure in vos suo exigendum habet. Veniet tempus, cum pro varietate sortis & instituti, cui vestrum quemque

Deus

Deus idem applicuerit, alia ab alijs obsequia reperet. Hunc in ferendis judicijs æquitas, illum in defendenda patria animi magnitudo, istum in faciendis mercaturis probitas, alium tuendæ religionis studium, alium strictioris vitæ observantia, alios aliæ virtutes diversum secutos vivendi genus apud Deum commendabunt.

Jam verò dicite, amabo vos, quid instat, quid incumbit vobis omnibus ac singulis præter solitos studiorum labores? Nulla vos rei domesticæ cura, nulla colligendarum opum anxietas, nulla ambiendi muneris sollicitudo, nullæ negotiorum moles detinent, vel remorantur. Liberi omnino rerum istarum molestijs hoc unum habetis cogitandum, ut diligentem in Literarum studio operam ponatis. Hoc parentes domi, moderatores in scholis, hoc etiam multò efficacius vestris animis inculcat Deus, cujus plena summæ benignitatis providentia tam abunde, tam amanter vos instruit ijs omnibus, quæ studendi desiderium promovere atque incitare possent. Quid enim est hic, Adolescentes, quod studium non suadeat, quod studium non inspiret? quid loquar quotidianas exercitationes, magistrorum vigilantiam, sociorum exempla, concertationes eruditas, palmares laureas, doctarum frontium præmia? Parietes ipsi, ita me Deus adjuvet, eruditionem, doctrinam, laborem personant. Hæc scilicet adjumenta Deus Optimus Maximus ætati vestræ suppeditat, cum ut acriori animo ad exantlandos studiorum labores accedatis, tum ut impositam vobis diligenter studendi gravem necessitatem intelligatis.

Quàm severè ergò animadvertendum esse putatis aliquando in eum adolescentem, qui, cum senserit, hunc esse divinæ voluntatis ordinem, ut adolescentia tota studijs traducatur, non cavendum sibi putaverit præter cætera, ut in excolendis affi-
duè

duè constantérque studijs illam vitæ partem exer-
 ceret. Qui tam pretiosum tempus otio, nugis, ludis
 contriverit: qui oblatâ proficiendi in Literis facul-
 tate abusus fuerit; qui moderatorum sollicitudi-
 nem, vigilantiam, sedulitatem supervacaneam &
 inutilem reddiderit; qui parentum impensas, vota,
 spem expectationémque frustratus fuerit? Nam
 quis existimet Juvenem ita comparatum vacare cul-
 pis gravioribus, quæ lethalem inferunt animæ pla-
 gam & sempiterni exitij periculum accersunt? Tu
 nimirum tibi conscius dictam hanc legem ætatis
 conditionique tuæ, ut mancipata Literarum studio
 tota sit, nullo pones in loco singulis propè momen-
 tis voluntati divinæ refragari? tu docilitatis obli-
 tus & obsequij præscriptam à Magistris vivendi nor-
 mam ac regulam prætergrediêre? tu consecratam
 laboribus juventutem agendo nihil, aut etiam cor-
 ruptelâ depravando transiges; nec tibi gravioris
 flagitij reus videbere? Ah! si capitalem noxam,
 pœnisque expiandam perennibus censetur admitte-
 re, qui præceptum quodlibet transgreditur vel se-
 mel; quantò nocentior ille majorique supplicio
 dignus apud Deum audiet, qui toto adolescentiæ
 curriculo nullum detrectandi imperij finem fece-
 rit? Scilicet istud peccati genus censetur inter illa
 piacula, quibus in ipsâ ætatis levitate & inconside-
 rantiam excusatio fit; quæ perstringere leviter suffi-
 ciat, cum expurganda in tribunali Pœnitentiæ con-
 scientia est? quorum gravitas negligentiam aliquam
 facilè condonandam non excedat? vestrum ipso-
 rum judicium, Adolescentes, vestra existimatio sit.
 Putâstis esse quid momenti tam infiniti, si quis stu-
 diorum tempus deperderet? si Scholasticum pen-
 sum multos per menses negligeret? si nullum ex
 bonâ sanctâque institutione vel pietatis vel doctri-
 næ fructum colligeret? An cum ad deponenda pec-
 cata acceditis, diligenter excutitis studiorum ve-
 strorum

strorum

strorum rationem? an longam supinamque desidiam lethalium criminum habetis in numero? an deffetis, ut par est, gravem jacturam temporis? an sincerum emendationis propositum elicitis? Proh! Deum immortalem! quàm multa sibi quisque vestrum exprobrat in hac parte, si perferutari arcanos conscientiae sinus voluerit! quot praetermissa fortè reperiat inter confitendum, tanquam delicta levioris notæ, peccata, quæ maturam ac feriam attentionem requirebant! saltem ah! quod erratum est ignorance magis, ut ego lubenter crediderim, quàm animi perversitate, sic corrigite, Adolescentes, ut ante omnia defigatis animo penitiùs, nihil esse quod iniquius ferat Deus, quàm negligi à vobis studia Literarum, quibus addictam esse ætatem vestram voluit; nihil, cujus tam severam, quàm exactæ segni in otio adolescentiæ rationem sit petiturus.

Id porro adeò verum est, ut reliqua, quæcumque illa sint pietatis ac Religionis officia, placere Deo non valeant, si studendi voluntas atque diligentia defuerint. Non si dies integros orando meditandoque consumatis; si vincetos in carcere, infirmos in nosocomijs visitetis; si destinatam oblectando genio pecuniam in pauperes erogetis; si quas etiam corporis afflictiones ultrò exerceatis, isthæc omnia quidquam vobis coram Deo profuerint, nisi singularis quædam inter studendum sedulitas pijs alioquin operibus quasi facem prætulert. Quæ porro causa est? quia nimirum, ut jam innui, cum tota rei cujuscumque perfectio ex eâ, quam habet cum voluntate divinâ, consensione dependeat; necesse est, ut, quidquid ad illam rectitudinis regulam exactum non fuerit, laude omni careat ac spoliatur.

Hinc porro quanta consolationis seges exurgit adolescenti, quem unus officij sui amor sollicitat,

eat, & sincerum Deo placendi desiderium incendit; cum affixus libris suis, obluente nequicquam ac dehortante studiorum fastidio, hac se cogitatione pascit ac recreat. Felicem me, quem Deus imperio docilem & obsequentem habet! qui nihil facere possim in præsentia Deo gratum & acceptum magis, quàm id ipsum quod ago. Si quid durum occurrit identidem, si vis indoli facienda, si certandum mihi improbo cum labore & intricatis studiorum salebris; testis est Deus illius certaminis, idemque reportandæ mox victoriæ magnificus munerator futurus est! Nam quid ego facere cupidius ambiam, quàm quod mihi nunc faciendum incumbit, quando nullum aliud obsequij mei specimen Deus expectat? Magnum quiddam est, & dignum Christianâ æmulatione facinus apud barbaras gentes prædicare Christi fidem, & editis palàm miraculis Evangelium approbare. At, nec si ego jam id facerem, tam placerem Deo, quàm placere mihi gratulor, cum lectito vel scribo, quod mihi à Magistris præscriptum est, quoniam divina voluntas, fons & origo totius sanctitatis, laboribus meis vel exiguis pretium accersit, quo valere nequeant cætera quantivis momenti facinora, quæ nullâ divinæ voluntatis notâ signarentur. Quantum enim verò in hac cogitatione præsidium, Adolescentes, ad suscitandam in vobis actuosam diligentiam! Ergo cum ad studendum acceditis, cum laboris ardor & alacritas refrigescit, cum ipsa parandæ scientiæ difficultas tædium parit atque fastidium; meminerit unusquisque vestrùm hanc esse optimam placendi Deo rationem, si magno fervore animi in studia Literarum incumbat. Tum, mihi credite, novum robur accrescere, mitigari molestias, vanescere fastidia sentietis. Hactenus de priori parte: nunc in posteriori demonstrandum, nihil præstare vos posse ad salutem utilius, quàm

quàm

quàm si strenuè ac viriliter ad studendum accedatis.

II. PARS.

Hic verò prosequi operosius non velim, quàm multa salutis impedimenta removeat sedulus in studendo labor, quàm perniciosos præcludat vitiorum fontes, quàm adolescentum mores corrumpunt plerumque ac labefactant. Nam quis alienus magis vivit ab omni ætatis illius corruptelâ, quàm qui diligentem & accuratam Literarum studijs operam impendit. Date mihi aliquem tam securum ab inertiori otio, tam munitum ab insanâ ludi pruriginè, tam feliciter adversus societatis malæ contagia comparatum: ex hoc enim triplici fonte scaturiunt præsertim & ubertim profluunt cæteræ labe animi, quæ Juventutis innocentiam vitiant ac dedecorant. Unde mihi quisquam contrâ, qui pudorem ac castimoniam colat impensius? qui se docilem magis ac mansuetum exhibeat? qui promptior ad singula pietatis officia atque alacrior inveniatur, quàm qui abditus in musæo laboriosis studiorum curis solidos dies conterit ac traducit? adèd Literarum amore quisquis incenditur, ab infestis corruptelæ illecebris tutus, & in virtutem flecti cereus est! Verùm dicamus aliquid, Adolescentes, unde liquidius etiam, si fieri potest, intelligatis, quantam assidua studiorum contentio cum re salutis vestræ necessitudinem habeat.

Cùm momenti est ad salutem æternam maximam ingredi vitæ conditionem, quam singulis hominum divina providentia designavit, & in eâ suis accuratè defungi officijs, tum profectò sic utrumque ab illâ, quam quis adolescentiæ tempore studijs navaverit, operâ vulgò dependet, ut qui fuerit in studendo remissus ac negligens, neutrum assequi posse videatur. Quid enim facit multorum in
per-

perdiscendis Literis socordia, nisi ut vocantis ipsos
Dei & ad certum aliquod vitæ genus invitantis con-
silia suo plerumque effectu careant? nisi ut per-
turbetur ratio ordinis, quem supremi Numinis
æterna lex in assignandis suis cuique partibus sta-
tuerat? nisi ut doctrinæ atque eruditionis vitio
Adolescentum bona pars aut recedat à præscriptâ
sibi sorte, aut eâdem suum ad dedecus & exitium
abutatur? Age enim, quisquis studia tua negligis,
qui scientiam nullo ponis in loco, qui turpis igno-
rantia nomine etiam gloriaris; qui scis, num te
rerum omnium moderator Deus ad eum vocaverit
vitæ statum, qui hominem peritum Literarum &
in aliquo doctrinæ genere versatum requirat? Si
res ita se habet, quemadmodum licet facere con-
jecturam de multis; jam à te peto, quid statuen-
dum de te putes in his rerum adjunctis? Vel enim
amplectêris eam vitæ conditionem, quam Deus
tuam esse ab æterno voluit, vel ab eâ certè recedes;
si ab illa recesseris, ut par est, ignorantia tuæ con-
scius, vide quàm meritò pertimescendum habeas,
ne & à cœlesti gloriâ aliquando excludaris; ad
quam rarò quis unquam perveniat, nisi per aper-
tam sibi à Deo semitam perrexerit. Sin autem ru-
dis quantumvis & imperitus illi te applicueris, vel
parentum, ut vulgo fit, impulsu, vel propriâ volun-
tatis inclinatione, quia scilicet habet illa quidpiam
quod percellat oculos & æstimationem apud homi-
nes conciliet; attende, quæso, mecum, quibus te
periculis exponas, quàm impar viribus tuis feren-
dum onus aggrediâre. Tu nimirum nullis doctri-
næ præsidijs instructus indues magistratum & de
capite fortunisque hominum sententiam feres? Tu
vix leviter tinctus literis Sacerdotio defungere, &
pretiosissimum Christi Sanguinem in Sacramento-
rum administratione temerè dispensabis? tu cras-
sifore notus ignorantia interponere te difficillimis

M

in

in rebus arbitrum ac iudicem sustinebis? At quantis, amabo conscientiam tuam criminibus oneras? quot scelerum, quot flagitiorum in partem accedis? quàm multis pro delictis, à quibus te credis alienum, animæ tuæ salutem oppigneris?

Quoniam video, quò te propicias, audio quid respondeas, & quam temeritati tuæ causam obtendas, intelligo. Aderit tempus, inquires, cum emerfus tandem è scholarum tenebris animum seriò ad studium adjungam, cum perdiscam illa diligenter, quæ muneris mei ratio postulabit; cum explendis officij mei partibus accuratim me atque attentum exhibebo. Erras, Adolescens Christiane, si futurum confidis, ut maturâ tandem ætate pravum negligentiae habitum corrigas, quem adolescentiæ tempore contraxeris. Crescunt, mihi crede, confirmanturque progressu temporis juvenutis vitia, & ægro in corde consenescent. Scilicet olim jam grandior tuique juris arbiter hærebis solidos dies conclusus in musæo, qui nunc vix depulsus à lacte, & quotidiano penso adstrictus unius horæ spatio cubiculi tui fastidium non sustines? Tu post aliquot annos provocatus blandissimâ cœtaneorum societate, mille voluptatum illecebris lacessus, gratissimis hinc atque inde omnis generis oblectamentis irritatus, interim inter latebras morosus ac tetricus chartis impallesces, qui jam seclusus ab illis Literarum impedimentis tot inter Sociorum exempla singulari animi alacritate ad studia incumbendum otiaris turpiter ac consenescis? Tu barbatus aliquando difficiliore reconditoris doctrinæ molestias devorabis; qui jam, tam opportunâ tam accommodatâ studijs ætate facillima Literarum rudimenta fastidis? Erras, inquam, iterum repeto, erras, vel si mihi affirmanti non credis, habet Spiritui sancto fidem Sapientis ore testanti, quoniam *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit,*

senuerit, non recedet ab eâ. Prov. 22. Otiosus es id temporis, deses, laboris impatiens; neque tu cum excefferis ex ephelis, otium exues, desidiam ejurabis, aut studiorum pondus æquius patiére.

Ergo nisi torporem, ac veternum jam deponis, contractam adolescentiæ tempore otiandi consuetudinem per omnes ætatis gradus circumferes; quodcumque sequeris olim instituti genus, adhærescet usque labes illa, teque mancum & inutilem ad singulas officiorum tuorum partes exhibebit. Non te vel æmulatio gloriæ, vel nominis existimatio, vel rei ipsius ampliandæ cupiditas stimulat ad laborem, aded nihil sectabere penitus aut amabis præter inertissimum otium & mollissimam voluptatem. Interim quis erit æternæ vitæ gustus ac sensus, quæ laboris unius fructus est, quam ad comparandam perpetua tum corporis, tum animi contentio requiritur; cujus potiundæ fovere nemo spem debet, nisi qui teste Apostolo legitime, hoc est viriliter constantèrque certaverit? Illius, credo, veniet in partem, qui perenni diffluens otio vitam, agendo nihil, totam contriverit?

Atqui fors erit hæc tua, Adolescens desidiose, qui jam incipis inter studendum torpescere, qui Scholastici pensæ onus ferre non vales, qui laboris fastidio capeffendæ eruditionis facultatem, quam nactus es, temerè negligis; hæc, inquam, erit fors tua, ut quamcumque in eas olim vitæ rationem, tui semper similis nec segnitiam unquam excutias, nec agere quidquam strenuum ac laudabile inducaris.

Ah! ne tam funestam tibi struas ipse perniciem, sed medere malo potiùs, dum res tuæ adhuc in integro sunt; exere vim insitam actuosæ mentis, quam tibi Deus impertijt, ad extirpandam penitus segnitiam malam, quæ tuos in mores

grassari jam cœpit; resume alacriter intermissos studiorum labores, & quoniam tantam habent illi cum re salutis ipsius necessitudinem, cave diligenter, ne, dum laborem defugis vel tœdio, vel difficultatum metu, insistendam salutis semitam pariter declines. Cogita, amabo, nisi te ad acquirendam scientiam accinxeris viriliter, quid responsurus Deo sis, cùm perditum malè adolescentiæ tuæ tempus exprobrabit; cùm graves lapsus, quos rerum inscitiâ atque ignoratione feceris, palàm obiciet; cùm turpissimam morum corruptelam, in quam famulante otio atque desidiâ deveneris, in ipso totius universitatis conspectu revelabit.

Miserrime Adolescens, inquiet Christus Dominus, meministi, quibus ego te præsidijs instruxeram, ut peritum in virum olim evaderes? Parentes habuisti cupidos inprimis ac sollicitos institutionis tuæ, qui nullis pepercere sumptibus, ut te liberaliter educarent; nactus eras facilitatem ingenij, vim, perspicaciam, quibus abstrusiores disciplinarum latebras nullo negotio pervaderes. Dederam tibi sapientissimos studiorum tuorum moderatores, quorum operâ ad summum quæque doctrinæ cuiusvis apicem feliciter pertingeres: in eo te constitueram florentissimæ Juventutis Lycæo, ubi quotidiana accuratioris diligentiae exempla suppeterent: Socios tibi adjunxeram patientes laboris, tamque studiosos eruditionis bonæ, quam cupidos pietatis & innocentiae cultores. Tot inter adjumenta atque incitamenta diligentiae non potuit esse te otiosum ac desidem? Vide, infelix Adolescens, vide, quid feceris, unde excideris, & quò tandem deveneris. Si te liberalibus disciplinis diligenter excoluisses, si perfunctus ultro strenui Scholastici officijs aliquam doctrinæ laudem meruisses, id tibi præparabam vitæ genus, quod ingressus semel gratissimam mihi exhibuisses servitutem,

tentem, & certum contra vitiorum illecebras salutis præsidium inveniffes. Nunc verò fecit tua in studendo socordia, ut de curriculo deflexeris, illudque amplexus fueris institutum, cui nec eràs destinatus à me, nec propter insciùm & longam pigrity consuetudinem satis apus, nihil mirum, si tot impegeris vitiorum in scopulos, & irreparabilem animæ tuæ jacturam feceris.

Prævertite cautione salutari tam justas omnipotentis Dei querelas, Adolescentes, petite cum dolore veniam traductæ infeliciter juventutis; refarcite, quantum erit in vobis, veteres studiorum vestrorum ruinas, & quod superest ultrà tempus Literis sic impendite, ut beatam ipsius pretio æternitatem promereri possiis.



D E

PERSEVERANTIA CHRISTIANA.

O R A T I O X V.

Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Matth. 10. cap.

Nullus ego dubitem, Adolescentes Christiani, quin, per isthæc sacrorum dierum solennia, divinis, quotquot estis omnes, resecti instauratique mysterijs vel amissam peccato gratiam recuperaveritis, vel si, quod multò lubentiùs crediderim, ab eâ excidere non contigisset, veteres

M 3

gra-

gratiarum thesauros novis amplioribusque cœlestium donorum opibus cumulaveritis. Fecit enim singularis illa pietas, cujus ipsi testes magno animi gaudio exitimus, ut de vobis aliter æstimare non liceat. Quâ in re cum & mihi, pro ea qua unumquemque vestrum in Christo prosequor, sincero charitatis affectu, vobisque omnibus non mediocriter gratulor; tum diligenter commonendos atque exhortandos vos puto, ut in ea, quam accepistis, gratiâ fideles atque constantes sitis. Nam quid, amabo, cum Christo resurrexisset vobis profuisset, nisi cum eo nunquam deinceps morituri pariter resurrexissetis? Quò pertinuisse tot anari fletus, quibus licentioris vitæ flagitia abluissetis, si in eadem postmodum relaberemini? Quid juvaret tam enixis precibus, tam apertâ animi verè contriti significatione promeruisse reconciliationis beneficium, si ab eodem post aliquot dies excideretis? Satius ah! multò fuerit, parcite, si dico, Adolescentes, non rediisse cum Deo in gratiam, quàm ea rursus committere, unde irasci vobis denuò, & veteres renovare inimicitias possit.

Quod malum ut à vestris cervicibus avertam, operæ pretium esse existimo, si ad tuendam conservandamque omni studio, quam ex pijs Sacramentorum fontibus hausistis gratiam, animos vestros accendam. Attendite igitur, &, quam iniiviam ingenerandi vobis perseverantiæ Christianæ desiderium, intelligite. Geminum erit hodiernæ Orationis caput: Dicam primùm de necessitate Christianæ Perseverantiæ; deinde, quibus rationibus pervenire ad illam possitis, explicabo.

I. P A R S.

Ac primùm quidem talis est illius Perseverantiæ necessitas, cujus in vobis studium incendere velim, ut nisi ad assequendam illam totis viribus contendatis,

tis,

tis, nec promissam Deo fidem exsolvere, nec salutem vestram providere possitis. Revocate enim verò in memoriam, Adolescentes, quo sensu, quo affectu animi ad sacra mysteria nuperrimis diebus accesseritis. Quibus, amabo vos, conditionibus imperitari vobis divinæ reconciliationis gratiam postulastis? quâ lege sacris advolti altaribus delictorum veniam efflagitastis? quo pignore pacti toties cum Deo fœderis, turpissimi contemptores exorastis, ut in ipsius benevolentiam rursus admitteremini: Doluistis, ingemistis, neque lacrimis etiam pepercistis. Exhorruistis illa flagitia, propter quæ offensus merito Deus vos abjecerat: maledixistis habitibus pravis, quibus vitiorum in semitam abrepti in perniciem ruebatis: cautiores vos deinceps & attentiores rebus vestris, in declinandis periculis prudentiores, in coercendis cupiditatibus effrânis fortiores, in tuendis cœlestibus donis diligentiores vos fore promisistis, vovistis, jurastis. Nunc ergo, nisi perfidum dixistis Sacramentum, quo pacto affectos esse vos necesse est erga illam gratiam, quam tot impensis vestris, tam enixis redimendam precibus judicastis? quid non aggredi vos, quid non perpeti, quibus non rebus carere prius vos oportet, quàm ut pretiosum illud munus, quo jam per summam Dei misericordiam frui-
mini, in posterum amittatis.

Age enim, Adolescens Christiane, quisquis es: si fatali, quam fecisti ipse sapius, experienciâ didicisti, quàm parùm profuerint adversus cupiditatum tuarum incitationes, quæcumque elicuisti hætenus melioris vitæ desideria, tene liberandæ, quam dedisti Deo, fidei cupidum persuadebis, nisi diligentem in reprimendis violentis animi tui motibus navabis operam? si conscius ipse infirmitatis tuæ non experiris in te satis roboris ad perfringendam impiorum ac licentiorum adolescentum auda-

ciam, si quando illi innocentiae tuae molientur insidias, tene recuperandae gratiae studio ad Sacramenta accessisse arbitrabor, dum impellente nemine, nemine incitante periculosos flagitiosorum juvenum coetus confectabere, dum eorum delectabere colloquijs, dum te in ipsorum familiaritatem per fas ac nefas intrudes? Denique nisi obviam iveris sedulo, & promptum ijs omnino rebus remedium, unde jaeduram divinae benevolentiae pati posses, attuleris, quis te sensatus ejusdem retinendae studiosum credat, vel quis te potius dissimulatorem, mendacem, proditorem non pronunciet?

Jam vero expendite, quaeso, mecum, quo tandem fine, Deus ipse debitas sceleribus vestris penas tam liberaliter remiserit: quo vos consilio sempiternis ignibus toties mancipatos in spem beatae immortalitatis restituerit: quorsum suam vobis gratiam tot laborum, quos pertulit, fructum, effusi per mille plagas sanguinis mercedem, obita cruciatus inter acerbissimos mortis pretium indulserit? An ut tantae bonitatis obliti novis ipsum flagitijs post aliquot dies provocaretis? an ut despectam, quam vobis promeruit, gloriam vestram ad perniciem animi obstinaretis? an ut pretiosissimum, quod largiri poterat, sui in vos amoris monumentum quoquo statim tempore, qualibet occasione data prostitueretis. Revocate, etiam atque etiam precor, memoriam verborum illorum, quibus vos Christus ad communionem sui corporis admisit. Nunquam fortasse vobis venit in mentem cogitare, quanta vis esset in ijs vocibus, quam grande mysterium celaretur. Dum enim ad sacram mensam accederetis, dum Sacerdos vobis divinam hostiam porrigeret, sic admonuit singillatim unumquemque vestrum, *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam.* Quod dum diceret, quid aliud innuebat, nisi benignissimum Domi-

Dominum, suum vobis corpus in cibum, suum sanguinem in potum eâ mente tradidisse, ut certissimum in eo Sacramento præsidium ad conservandam in perpetuum tempus gratiam, quæ spiritualis vita animæ est, haberetis. Nam si in aliquot tantum vel dies, vel hebdomadas, vel menses producendam in vobis cœlestem vitam Christus censuisset, frustra edendum obtulisset divinum illum panem, quem ipse ad eum finem lapsus de cœlo proficetur, ut qui ex eo refectus fuerit, vitam in se perpetuò manentem possideat. *Hic est panis*, Joan. 6. inquit Christus conceptis verbis, *qui de Cœlo descendit, qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Si quem tamen minùs moveret persolvendæ, quam juravit Deo, & quam Deus ipse repetit, fidei necessitas, cogitet ille secum, quanto versetur in periculo suæ salutis, nisi omni studio ac diligentia, in eâ, quam accepit, gratiâ constanter perseveret. Hæc enim unica fermè via est, Adolescentes, quâ ad Perseverantiam finalem ipsamque adeo immortalitatem pervenitur. Est enim divina prædestinatio, si Theologos sanctosque Patres audimus, instar catenæ cujusdam aureæ, quæ multis ex parte Dei gratiæ cœlestis auxilijs, multis itidem actibus ex parte hominis gratiæ obsequentis, quasi totidem annulis connectitur ac continuatur. Porro actus illi omnes, quotquot sunt, ad Perseverantiam Christianam pertinent, cujus est per varios illos actus sic hominem circumducere, ut ad extremum denique perveniat, quem perseverantiæ finalis actum appellamus. Est autem inter perseverantiam vitæ, morisque perseverantiam similitudo tanta, tanta connexio, ut ad hanc nisi per illam pervenire non possis. Frustra te in statu gratiæ moriturum confidis, nisi, dum vivis, in eadem gratiâ persiste-
ris. Nam licet gratiam illam finalem, per quam beatæ felicitatis referatur aditus, nemo hominum

M 5

pro-

promereri ex justitiâ possit, sed ex unius Dei miserentis, cujus vult, voluntate tota dependeat: amen hæc est summa ejusdem Dei benignitas, ut illam in Perseverantiæ Christianæ præmium nobis promiserit; *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, Matth. 10. inquit Christus. Quæ verba subjicit Augustinus, quod non de gratiâ ipsâ Perseverantiæ Christianæ accipienda sint, vel ex eo patet, quia perseverantiam illam, ad quam Christus nos incitat atque accendit, & in uniuscujusque nostrum arbitrio positam innuit, æternâ gloriâ remunerandam aliquando profitetur. Hinc est quod Spiritus sanctus in Apocalypsi eodem planè sensu nos admonet atque adhortatur; *Esto fidelis usque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ*. Apoc. 10. Quare non miror, si B. Paulus, peractis feliciter secundum Dei leges vitæ tramite, vicinus morti plenus confidentiâ exclamaret, *bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illâ die justus iudex*. 2. Tim. 4.

Quotusquisque vestrum est, Adolescentes, qui ad gratiam Perseverantiæ finalis non adspiret? quis est qui votis omnibus certissimum illud æternæ gloriæ pignus non ambiat? sed quid vos interrogo? Ipsos etiam interrogemus, qui sunt in re salutis maximè incurij ac negligentes, homines impios, nefarios, perditos percunctemur; numquis erit unus eorum aliquis, qui cum scelerato Balaam non exclamet, *moriatur anima mea morte justorum!* Num. 25. verùm audite, quid Bernardus hujusmodi hominum votis respondeat. *Vivat anima sua vitâ justorum, si vis ut moriatur anima tua morte justorum*. Sic est, Adolescentes, nolite seduci inani confidentiâ, *nemo coronabitur nisi qui legitime certaverit*. 2. Tim. 2. Hoc est, nemo Perseverantiæ finalis gratiam obtinebit, nisi qui in tuendâ ac conservandâ

vandâ

vandâ gratiâ fidelis usque ad mortem extiterit. Parùm enim verò aut etiam nihil homini Christiano profit feliciter vitam inchoâsse, nisi faustis initijs par quoque finis responderit. Judas Christi discipulus inceptam piè sanctèque vitam miserabili fine conclusit; Paulus contra Ecclesiæ Christi primum vexator, ejusdem defensor ac propagator occubuit. In hoc igitur rerum summam existimate positam, ut ad extremum vitæ terminum in sanctitate perseveretis; adeò nihil juvat ad salutem, si traductâ ac contritâ virtutum exercitatione vitâ lethalis noxæ conscios mori contingeret. Neque enim, inquit Tertullianus, *in Christianis quaruntur initia sed finis*. Verùm non satis est demonstrâsse vobis, quanta sit Perseverantiæ Christianæ necessitas; jam quibus præfidijs illam assequi liceat, breviter videamus.

Infinitus ego sum, si velim singulis insistere momentis, quæ promovere in vobis Christianæ Perseverantiæ desiderium possunt. Quare sit mihi satis unicum hodie vobis proponere, quod inter cætera potentissimum esse semper duxi. Atque illud tale est, Adolescentes carissimi, ut frequenter revocetis animo & quasi regustetis illos pietatis sensus, quibus incitari vos ad colendam virtutem, Deoque totis viribus obsequendum aliquando experti estis. Nemo vestrùm est (neque vereor, ne mea me fallat opinio, dum sic auguror de vobis) nemo, inquam, vestrùm est, qui cum ad sacrorum mysteriorum communionem accederet, non sentiret se identidem uberiore quodam cælestis gratiæ lumine illustrari, & vehementioribus præter solitum divinæ caritatis ignibus succendi. Quàm magnificè, quàm sapienter, quàm piè de virtute, de Religione, de Deo, de vestris officijs sentire tunc vobis contigit! Quid non in ijs temporum articulis Deo promisistis? quo non in peccatum
odio

odio concitati, quid non parati fuistis aggredi vel perpeti, ne quid admitteretis, quod inurere animæ vestræ labem posset? Nunc ergo veteres illos piósque sensus, motus pietatis tenerrimos, sanctissimos affectus revocet in memoriam unusquisque vestrúm, dum loquor, dicátque sibi ipse tacitus: Agedum, anime; illa melioris vitæ incitamenta, quibus parendum esse quoquo pretio nuper aestimabam, cur me jam vel impostero fidelem minús aut minús obsequentem inveniant? Illa Christianæ religionis principia, quibus quasi totidem rationibus necessarijs adductus alium inire vitæ morem proponebam, quidquámne auctoritatis illius atque ponderis, quod habebant, paucos post dies remisissent? Tunc repetens spatium præteriti temporis, & memoriám pueritiæ recordatus ultimam judicabam, valedicendum mihi esse pravorum adolescentum cœtibus, abstinendum ab impurorum librorum lectione, temperandum à flagitiosis colloquijs, aut spem salutis omnem esse abdicandam. An mea me ratio fefellisset? an inanibus delusus terriculis credulus plus æquo aut meticulosus existissem? Tunc conscius tenuitatis atque infirmitatis propriæ declinandas sedulo quascumque peccandi occasiones arbitrabar: nunc verò factusne sum aut robustior, aut valentior, aut contra difficultates salutis comparatior, ut quælibet adire pericula erecto atque aperto capite non pertimescam? Christus, pro me passus, pro me crucifixus, pro me mortuus; ah! memini, nullum satis grande videbatur animi grati monimentum reposcere; numhodie Christus desijt, aut aliquando desinet esse mihi, quod erat, an non potius idem semper Christus est & heri & hodie in sæcula? cur igitur alia nunc vel deinceps, aut cogitem, aut sentiam, aut velim, aut agam, quàm quæ tum & cogitabam, & sentiebam, & volebam, & agebam? Idem erit semper Deus, qui fuit.

fuit, fides eadem, vis eadem legis, eadem officij mei necessitas. Cur ergo mutetur animus in contraria, cur voluntas in pejorem inclinata partem deficiat?

Præclara enimverò, Adolescentes, atque efficax mirum in modum isthæc excitandi se se ad Christianam Perseverantiam ratio! Vidi nuper aspirante benignius divinâ gratiâ, vidi, quasi oculis cernerem, rem salutis rerum esse omnium unam necessariam, atque huic veritati Evangelicæ, *quid prodest homini, si mundum univèrsam lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur*, Matth. 16. sic acquievi totus, ut cætera omnia negotio salutis postponenda ducerem. Sanusne jam ego sim, si brevissimæ, sædissimæque voluptatis gratiâ æternæ damnationis periculum adeam? Nuper inter æstus seræ meditationis ferventissimos sensi nihil esse fragilius vitâ, quam ducimus; mori me posse quocumque momento temporis, conclamatam salutem fore, si me lethalis culpæ consciùm improvîsus casus opprimeret. Dixi, cavebo inprimis diem vel unum, noctémve brevissimam in eo itatu vivere, in quo mori non velim. Miserum me! si jam securus inopinatæ mortis, peccatorum in sordibus stertere menses integros non verear! Nuper, dum ad vivum repræsentarentur flammæ infernarum incendia, quas divinæ justitiæ furor castigandis æternitate totâ hominum flagitijs succendit, exhorui miserabilem in modum, & quod non perceperam adhuc satis, intellexi penitus, horrendum esse in manus Dei viventis incidere. An falsus ego sim? an me vanus lussisset error meticulosum nimis? aut si refingendum hinc nihil, neque timendus satis videri possit æternus sceleris ultor Deus, cur ejusdem iras in me suscitem? cur æternæ damnationis adire discrimen non pertimescam?

Atenitæ

At enim non affulget jam menti lux eadem, quæ nuper: refriguit penitus ille pietatis ardor, quo prius animus incalescebat: prævaluit impetus prævæ cupiditatis ad vetera flagitia retrahentis. Ut ut est; quoquo deinceps modo afficiar, verum semper id erit, unum porro esse homini Christiano necessarium! nullum esse socordiae & inertiae locum, ubi dies & hora mortis incerta sit; nihil esse peccato lethali detestabilius, cui expiando æterna in Inferis supplicia destinata sint. Nulla nec temporum injuria, nec voluntatum mutabilitas, nec perverfitas morum quidquam ex illis Christi oraculis detrahet; *Cælum & terra transibunt, verba autem ipsius non transibunt.* Marc. 13.

Isthæc, amabo vos, Adolescentes, reputate vobiscum frequenter, & attentis animis meditati, si quando salutis vestræ hostis infensissimus ad oppugnandam innocentiam vestram accedet. Si vos vel humanarum rationum momentis, vel exempli pravi ac perniciosæ consuetudinis obtentu, vel illicitæ voluptatis illecebrâ ad peccandum inclinabit; repellite illum viriliter ac dicite; Vade retro, Satana, memini, me nuper istis omnibus, quibus me provocas ac laceffis, nuntium remittere, cum inter liquidissimos pietatis affectus sacratissimo Domini mei Corpore pascerer. Non habebis in me deinceps partem ullam, sed JESUS mecum erit in perpetuum tanquam bellator fortis, te verò inter perennes rogos, & nequissimos tuæ superbiz ac rebellionis comites ardere ac plorare æternum jubeo. Quod ut fortiter atque constantes præstetis, Adolescentes, Deum Optimum, Maximum etiam atque etiam precor.



DE RELAPSU IN PECCATUM. ORATIO XVI.

Cum immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa quærens requiem, & non inveniens dicit, revertar in domum meam, unde exivi; & cum venerit, invenit eam scopis mundatam & ornata. Tunc vadit & assuvit septem alios Spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi, & sunt novissima hominis illius pejora prioribus. Luc. cap. II.

Satis opinor intelligitis, Adolescentes, ex illis vocibus, quas huic Orationi præfigo, futurum hoc mihi hodiernæ cohortationis argumentum; quàm metuendum sit, post recuperatam facris in mysterijs Dei gratiam & abjurata crimina, iisdem rursus immergi, & tam solennia Sacramenta novo perduellionis flagitio polluere. Cujus utinam sceleris atrocitatem sic explicare vobis possim, ut si, quæ diximus nuper de Perseverantiæ Christianæ necessitate, minùs apud animos vestros ponderis habuissent, quæ dicturus sum hodie de iteratis relapsibus vos à peccando deinceps deterreat.

Mihi

Mihi igitur nunc sermo est cum ijs Adolescentibus (saxit Deus, nemo hic sit, ad quem talis oratio pertineat) mihi, inquam, nunc sermo est cum ijs, qui repetitis flagitijs, implicant se se, & perpetuas surgendi, relabendique vices exercent. Quibus ego Theologorum omnium unanimi sententia fretus, sanctorum Patrum terribilibus anathematis munitus, ipsis Spiritus sancti oraculis confirmatus supremum illud, decretoriumque iudicium pronuncio, aditum pœnè omnem ad pœnitentiam, salutemque ipsis præcludi.

Quærit Chrysostomus, difficiliusne sit illæsam, intactamque ab omni lethifera labe integritatem toto vitæ tempore conservare, quàm inflicto semel per peccatum vulnere facere medicinam. Facilem habet quæstio illa primò aspectu explicationem. Quid enim magis obvium, quid magis in promptu est, quàm ad Pœnitentiæ Sacramentum recurrere, si quando peccare contigerit; at verò quantæ molis est ita se tueri adversus eas, quibus hæc vitæ obnoxia est, peccandi illecebras atque incitationes, nunquam ut, dum vives, tentationi succumbas. Res aliter tamen se habet; subjicit Chrysostomus; neque satis dici potest, quàm turpiter hallucinentur illi, qui post graves, iteratosque lapsus facilem sibi ad veram pœnitentiam aditum fore confidunt. Imò persuadeant illi sibi, nihil esse tam operosum, quàm ut verè ac sincerè, quemadmodum necesse est, ad impetrandam ejusmodi peccatorum veniam, ipsos pœniteat. Hujus porrò difficultatis, triplicem, quam subjicio, rationem accipite. Primum difficultatis caput à Dæmone, alterum ab ipso peccante, tertium à Deo ipso proficiscitur.

P A R S. I.

Ajo Dæmonem post iteratos lapsus gravissimum

mum esse ad veram penitentiam obicem. Quam-
 obrem id dicam, non ex hominum testimonijs, sed
 ex ipsius Christi oraculis intelligite. Ille, ille vos
 doceat, quàm sit misera, quàm funesta, quàm de-
 sperata relapsi peccatoris conditio. Cum est eje-
 ctus ab homine Spiritus immundus, inquit Chri-
 stus, si redit in idem hospitium, *assumit septem alios*
spiritus nequiores se. ibique simul omnes habitant, & sunt
novissima hominis illius pejora prioribus. Cum peccasti
 primùm, Adolescens Christiane, cum tentationis
 turpissimæ victus illecebris, vel nequioris socij col-
 loquio aut exemplo ad flagitium illectus admi-
 sisti fœdam illam libidinem, quâ vitiata cordis
 tui integritas est, unus in te Spiritus immundus erat,
 at cum post ejectionem sævum illum hospitem eadem
 te maculâ contaminasti, redit idem immundus
 Spiritus cum septem alijs nequioribus, & facta sunt
 novissima tua pejora prioribus; facta est posterior
 conditio tua priore longè deterior. Irrumpunt
 enim in animam tuam pessimi Spiritus, illam spoli-
 ant, prædantur, expilant. Cur autem ille septem
 nequiores adducit Spiritus? Nimirum ut ulciscatur
 fugam. Ulciscitur autem quot modis, Deus immor-
 talis! furorum omnium facibus, quas accendit,
 omnium libidinum sordibus, quas allinit, omnium
 maculis & inquinamentis scelerum, quæ coacervat,
 sævissimâ & turpissimâ servitute, cui mancipat. *In*
ejusmodi hominibus, inquit Augustinus, *Diabolus tan-*
quam in mancipijs suis operatur; regit eos ad arbitrium,
 & novo illo auctus satellitio jam validior, robusti-
 orque factus tyrannidem exercet durissimam: ni-
 hil nisi ex ejus imperio instinctuque geritur. Quid-
 quid agis, miserrime adolescens, quidquid cogi-
 tas, quidquid loqueris, hoc dictante ac præscri-
 bente Satana cogitas, loqueris, agis: te ductor in-
 felicissimus ad modum segnissimæ cujusdam pecudis
 aurigatur.

N

Quàm

Quàm procul ab ijs, qui aguntur à Dei Spiritu, neque nisi ex ejus præscripto quidquam aggrediuntur. *Vivo ego jam non ego*, inquebat olim Paulus, *Sic ut verò in me Christus*. Gal. 2. Tu verò qui novis recentibusque flagitijs immane Dæmonum satellitium in pectus tuum admisisti; dic Adolescens infelicissime, si quis esses ejusmodi, vivo ego jam non ego, vivit verò in me Dæmon; quidquid spiro, quidquid meditor, Dæmonis opus est, hoc agor Spiritu. Vivebat quidem in te Dæmon, cum prima peccata commisisses, sed languidior quodammodo, sed infirmior; sed qui ejici facile posset: jam adjuncto sibi nequiorum Spirituum comitatu, robustior vividiorque vivit in te, ciet motus omnes, torquet oculos, linguam movet, auribus insidet, membra omnia moderatur. Præest mentis tuæ imaginibus; has recondit, illas explicat, perturbat alias: illius judicio æstimas omnia, illius nutu optas & eligis. Illa cogitatio prava, quâ tantopere delectaris, non tua, sed Satanæ cogitatio est; verba illa obscœna, quæ profundis, verba sunt Satanæ; illi contuitus, illæ cupiditates Satanæ sunt. Hoc si crederes, ijs certè non tam jucundè pascereris, contremisceres ad earum occasiones levissimas, in te vivit Dæmon, & nescis, te obsidet, te regit, te possidet, & ignoras?

Miraris, Adolescens miserrime, si, subortis quandòque melioris vitæ desiderijs, medios inter nifus langues ac deficis; si, quibus olim adversus peccatum concitabâre stimulis, ijsdem jam penitus obdurescis, si, quæ olim teneram mentem, neque dum flagitijs gravioribus perviam percellerant metuenda Dei omnipotentis judicia, eadem nullum apud te pondus, nullum momentum obtinent. An igitur ignoras, quia durus ille moderator, cujus ad arbitrium nutumque circumduceris, prohibet, ne bene monentis & à peccato dehortantis

tantis gratiæ motibus obsequaris; ne turpissimæ illius servitutis, cujus te jugo mancipavit, pœniteat; ne perniciosæ semitæ, quàm decurris, miserabilem exitum pervideas; vivit nimirum in te Dæmon, & cum eo vivunt septem Spiritus nequissimi. Dominantur illi tibi, & arcem cordis tui, quæ prius à Deo expugnata fuerat, tam validis, tamque firmis aggeribus muniunt, aditus omnes tam diligenter custodiunt, ut jam invicta & inaccessible sit: aures, oculos ita obstruunt, ut ea ferire neque sacrorum luminum fulgura, neque concionum tonitrua possint, nullus salutis, nullus æternitatis sensus superest; projecta perditæque omnia.

Videte igitur, Adolescentes, ne vos durissimo tot tyrannorum imperio permittatis. Si summo Dei omnipotentis beneficio in Christianam libertatem asserui estis, si vincula vestra dirupistis, si turpissimum jugum excussistis, cavete, ne iteratis iisdem criminibus in turpiorem servitutem incidatis. Dæmonem abjecistis, expulistis, ejecistis; at scitote futurum, nisi eadem perpetrandi flagitia finem faciatis, ut non eundem tantum Dæmonem, sed septem alios ipso nequiores vincendos ac superandos habeatis.

II. P A R S.

Jam alterum prosequamur difficultatis caput. Adolescentes, quod ab ijs ipsis oritur, qui perpetuis surgendi relabendique vicibus ævum exigunt. Quod usu venire quotidie videmus, ut earum rerum, quæ sæpius exercentur, sensim contrahantur habitus, quibus ad res easdem deinceps agitandas non facilius modò, sed naturali quodam impetu animi inclinantur; id sanè multò frequentius accidere solet ijs, qui se repetitis flagitijs contaminant, eoque procliviùs prava contrahunt ha-

bitus ipsâ consuetudine peccandi, quod incitationibus vulgò motibus hominum indoles ad malum incitatur. Quantum sit porrò, quàm grave ad veram pœnitentiam sinceramque ad Deum conversionem impedimentum prava quælibet consuetudo, nemo satis intelligat, aut explicare possit, nisi qui vim illius propè insuperabilem sit expertus. Faxit Deus, Adolescentes carissimi, ut vestro ipsi periculo nullius unquam cupiditatis tyrannidem comprobetis. Hæc enim ubi semel diuturnitate temporis confirmata altissimas in corde radices egit, vix ac ne vix quidem illius extirpandæ libera facultas relinquatur. Nam sic illa vires mentis corporisque debilitat, sic enervat animos, sic totum hominem pessumdat ac labefactat; ut, quantumcumque durissimum servitutis jugum excutere velle videatur, medijs in conatibus æger deficiat, neque se ab assuetis lapsibus continere possit. Frustra sis ipse, nam quoties sacris in Literis inutilem ac supervacaneam apud homines ejusmodi fuisse benevolentiaæ tuæ vim conquestus es, ô Deus, frustra sis, inquam, si blandissimis gratiaæ tuæ illecebris animam turpissimæ servituti mancipatam revocare ad obsequium volueris. Quanta, quanta sit cœlestis luminis efficacia ad densissimas quasque tenebras dissipandas, non discutunt tamen caliginem illam opacæ noctis, quam peccandi consuetudo obduxit: vel si perstricti nonnunquam oculi splendore divina claritatis deformatam peccatorum multitudine animæ faciem respicere incipiunt, mox offusi denuò falsis cupiditatis prava fulgoribus in pristinam cœcitatem relabuntur.

Augustinum audite, Adolescentes, & ab ipso perdiscite, quantæ sit molis consuetudinem multiplici lapsu confirmatam aliquando deponere. *Jam dudum erat, cum instante internis gratiaæ suæ motibus Deo, & ingeminante pudoris ac timoris flagrantibus suis*

suis se Augustinus, ut ipsius verbis utar, volutabat in vinculis, donec abrumperentur. At quàm irritò exitu quàm infelici, quàm nullo! Vix aliqua melioris vitæ desideria conceperat, cum primo in ortu suffocabantur illa; & ipse prioris vitæ captus illecebris pristinæ consuetudini gerere morem cogebatur. Retinebant me nuga nugarum, inquit August. fatalem habitus pravi necessitatem exostulans, Retinebant me nuga nugarum, & vanitates vanitatum & succutiebant vestem meam carneam & submurmurabant, dimittisne nos? & à momento isto non erimus tecum ultra in aeternum, & à momento isto non tibi licebit hoc & illud ultra in aeternum? Nitebatur ille quidem stimulantibus ad saniora aspirantis gratiæ aculeis evellere plantam flagitiorum è cæno, sed medijs in conatibus deficiens eodem revolvebatur, prævalente, ut ipse subjicit, prævæ cupiditatis pondere. Retardabant me cunctantem abripere atque excutere me ab eis, & transilire quò vocabar, cum diceret mihi consuetudo violenta sine istis vivere poteris? Sentiebam me ab ijs teneri, & jactabam voces miserabiles, quandiu, quandiu? cras, cras: & non erat cras. Ligatus enim eram non ferro alieno, sed ferreâ meâ voluntate & ex consuetudine peccandi facta erat mihi quedam quasi peccandi necessitas. Ita de se loquitur Augustinus, & quam expertus erat in disrumpendis suis vinculis difficultatem, nativis, ut videtis, coloribus ac sine fuce expressit. Idem vos labor manet, Adolescentes, eosdem in dissolvendis illis nexibus, quibus vos voluptatum illecebræ implicuerint, obices experiemini. At longè dissimili exitu, mihi credite; quod enim Augustino præter consuetas providentiæ suæ leges Deus liberaliter indulgit, temeritatis inconsultæ sit, id vobis polliceri.

Agite igitur, Adolescentes, nunc exiffimate aut standum vobis in eâ, quam accepistis, gratiâ,

aut nunquam; nunc à peccando vobis temperandum esse, aut in peccatis vestris moriendum. At enim non possum, inquires; non potes? an conatum & nisum omnem aliquando exeruisti? an medicinam morbo tuo idoneam attulisti? an novissimorum memoriam frequenter animo retractasti? Non fecisti; alioqui fluctuantem jamdudum virtutem inter & vitia voluntatem confirmâsses. *Æternum illud & non violabile sancti Spiritûs oraculum, memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccles. 7. An id unquam seridè & enixè in nomine Jesu postulasti? at ille, *Amen dico vobis, si quis perierit patrem in nomine meo, dabit vobis.* Joan. 6. Vocare has voces in dubium non potes, quin Evangelium omne convellas. Et qui ne conatus quidem es; qui hæc tam prompta tamque parabilia remedia non adhibuisti, etiam te minimè posse causaberis? Deinde præstitisti cætera, quæ tuæ potestatis erant? fugisti improborum societatem, oculos à lascivis contuitibus, ab impuris imaginibus, à voluminibus obscænis, aures à flagitiosis sermonibus, linguam à verbis petulantibus, à turpibus cantilenis abstinuisti? hæc qui non feceris, qui medijs in occasionibus criminum immerfus vivas, miraris unde tot ad malum illices, unde tanta natura; propensio? & dum hæc non amputas, meritò luges imbecilliores esse vires tuas, quàm ut à peccando temperare possis. Ut ut est, reponis, non possum; non potes? Ergo æternum peristi. Quid videtur hæc mea sententia durior? arbitrum te volo: cur non potes? quia difficile est nimirum: at quò peccabis frequentius, hoc difficilius erit à peccando abstinere. Firmabitur consuetudo mala, tæque suis illigatum nexibus stringet arcètius: quò progredieris magis, hoc magis difficultas crescet; &, qui difficultate jam impediris, frustra eandem, cum creverit, superandam esse existimes.

Nun-

Nunquam poteris, mihi crede, si jam non potes. Alterum igitur amborum statue: vel cessa conqueri te non posse, vel fatere hoc ipso omnem à te salutis fiduciam exui, abjicique. Quanquam spes est, ad futura quædam uberiora divinæ gratiæ subsidia, quibus adjutus inveteratum malum facilius corrigas. Hæc porro spes, quàm inanis, quàm irrita sit, operæ pretium est expendere.

III. P A R S.

Est hoc miserabile conditionis humanæ fatum, ut, cum propriâ quisque voluntate facere peccatum possit, idem emendare, ut par est, nisi Deus adjuvet, minimè valeat. Devolvimur vitiorum in cœnum innato quodam infirmitatis acti pondere; at emergere inde feliciter, nisi Deus auxiliatricem tetenderit manum, non sufficimus. Ruimus ipsi præcipites pravitatis in semitam, at revocare ex eâ gradum, & meliorem sectari viam, nisi se viæ comitem ac ducem Deus præbuerit, non licet. Denique quantacumque sit amabilitas in Deo, quantascumque ad rapiendas nostras ad se voluntates habeat illecebras, ab eo tamen mentis oculos affectusque cordis, pro malæ libertatis arbitrio, plerumque avertimus: eundem verò mutatâ in melius inclinatione voluntatis requirere, & totis animi nostri viribus amantem redamare, non est sic positum in nostra potestate, ut prævenire motum aspirantis gratiæ valeamus. Hæc cum vera sint, dico homini relapso sæpius in eadem peccata nullum relinquî sperandi locum, fore ut emergendi aliquando à peccatis gratiam à Deo consequatur.

Verùm, inquires, cur peccatori post relapsus etiam multiplices impetrandæ olim veniæ spem adimis? cur infinitam Dei omnipotentis misericordiam limitibus circumscribis? cur Christi sanguinem non unius tantum mundi, sed plurium flagi-

tijs abluendis parem ita deprimis atque elevas? Audi, audi, quisquis receptam Dei gratiam tam nihili pendis, ut eandem novorum scelerum monstris prostituas; intellige nunc demum, quamobrem incircumscriptam ex se se divinæ bonitatis amplitudinem tu ipse restringas. Gemina scilicet iteratis lapsibus adhærescit labes, quam odit ex æquo Deus, ingrati ac perfidi animi vitium dico. Ingratum te, perfidum te exhibes, quoties expiatis Pœnitentiæ Sacramento flagitijs, eadem rursus admittere non dubitas.

Age: quàm ingrati est animi, eum, à quo veniam obtinueras, novis injurijs laceffere, eum, qui, cum perdere te æternum posset, cum reum Majestatis teneret, cum supplicium tuum divina urgeret justitia, & libens indulgit, & injurijs tuis non supplicia, sed beneficia rependit. Hunc qui offenderit, nonne in ipsam Dei clementiam ac pietatem injuriosum esse necesse est? Vide enim verò, miserrime Adolescens, quousque processerit ingrati cordis tui perversitas. Tu peccus illud, quod Deus infusâ gratiâ dedicaverat, suumque sacrarium voluerat esse, Dæmoni consecrasti. Tu Dei Templum in teterrimæ belluæ spelæum ac cubile commutasti; tu opes illius omnes, quibus animam tuam ornaverat, savissimi prædonis furori permisisti: tu Dei Dæmonisque consuetudinem prius expertus, quasi æstimatis utrinque rationibus, Deo remisisti nuntium, ut Satanam sectarere.

Jam verò quanta id ipsum perfidiæ est? Promiseras enim, certè promiseras, sacramentique religione Sanctissimâ Sacerdotis ad pedes confirmaveras, nihil tale deinceps à te perpetrandum: æternam Deo fidem juraveras, quam si obstrinxisses homini, minimè violabilem credidisses. Verùm heu! quàm levi occasione, quàm tenui flatu & anhelitu dissoluta ac dissipata omnia illa sunt! si
Dei

Dei pietatem indulgentiamque sperneres, si pœniteret te acceptæ veniæ, si promissæ illi ac juratæ clientelæ pigeret; quid ageres? hoc unum quod agis modò; veniam illam flocci faceres, abjiceres; fragili voluptatis pretio commutares! pœnitet te pœnitentiæ tuæ, pœnitet te juratæ Deo fidelitatis.

An non æquum est vicissim, ut Deum condonatae tibi veniæ pœniteat, & ita pœniteat, ut eandem in posterum non sit concessurus. Tum enim verò animam ejusmodi Deus deserit, veluti sedem omnium maximè invisam, & nullo deinceps tempore revisendam. Hinc scelera sceleribus cumulari, occæcari mens, animus obdurescere, & ad terribilium quarumque rerum mentionem rigescere. Neque verò mirum adedè videatur, si tam graves à relapsis peccatoribus Deus repetat pœnas. *Nam si quis irritam faciens legem Moysi, inquit Paulus, sine ullâ commiseratione moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum auxerit, in quo sanctificatus, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Heb. 10. Quis ad isthæc verborum fulmina non perhorrescat? Expende voces illas diligenti attentoque animo, Adolescens, quisquis es, qui in eadem vitia relaberis. Nónne tu in gratiam receptus fueras? hanc habuisti pro nihilo: contumeliam fecisti Spiritui gratiæ, eumque turpiter abdicasti? Nónne tu in illo testamenti sanguine sanctificatus per pœnitentiam fueras? hunc sanguinem recenti illo crimine polluisti. Nónne se tibi totum dederat impenderatque Dei Filius? Hunc è pectore tuo tanquam è folio dejectum conculcasti, ut in ejus locum Dæmonem attolleres. Quantò, ut easdem Apostoli voces retexam, deteriora mereris supplicia, qui toties divinam in gratiam restitutus finem nullum facis

eadem crimina iterandi; quæ pars tibi pœnitentiæ, quæ spes veniæ impetrandæ superest?

Animos advertite ad aliam Apostoli sententiam, Adolescentes, & vim illius totam intelligite: *Voluntariè peccantibus*, inquit Paulus, *Ibid. post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis expectatio judicij & ignis amulatio.* Terribiles minæ, Adolescentes! *Iis non relinquitur pro peccatis hostia.* Hoc est, Christus vitima illa, quâ hominum generi placatur Deus, hostia illa, in quâ salutis nostræ summa est, ijs non proderit. Itaque, si Apostolo credimus, purgari non potest iteratum scelus, neque ullo sacrificio expiari. Magna infinita, immensa sunt Christi merita, sed hominibus illis non proderunt. Quid ergo illos manet? *terribilis quadam expectatio judicij & ignis amulatio.* Hæc una illorum pars est. Quod ne austerè magis, quàm verè dictum ab Apostolo puteris, ecce id plenioribus, magisque disertis verbis confirmat. *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, & gustaverunt donum cœlestis, & participes facti sunt spiritus sancti, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.*

Expendamus verba singula. *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt.* Illuminatus fueras; tenebras illas obscuramque caliginem, quam peccatum offuderat menti tuæ, lux divinæ gratiæ discusserat. *Et gustaverunt donum cœlestis*, gustaveras, totum se tibi Christus impenderat, ejus corpore refectus, ejus sanguine potus fueras. *Et participes facti sunt spiritus sancti*, particeps factus fueras Spiritus sancti, sedem in te suam, solium sacrariumque delegerat. *Et prolapsi sunt*; Prolapsus es miser; tu lucem illam sciens, volensque repetitis flagitijs extinxisti, te te iterum scœdissimis libidinum inquinamenti infecisti. *Impossibile est rursus renovari ad pœnitentiam*; actum est, conclamatum est, illumi-

nari

nari denud, gustare donum cœleste, Spiritûs sancti particeps fieri non poteris, perijisti.

Adde & fulmineam illam, quâ B. Petrus percussit recidivos peccatores, comminationem. *Melius*, inquit, *erat ijs non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. 2. Pet. 2.* Ita res se habet, infelix Adolescens; melius tibi fuisset non emeruisse unquam ex illis fordibus, quibus implicitus adhærebas, quàm ablutum aquis Sacramentorum lustralibus ad easdem fæces remeasse. Satiùs fuisset non excepisse præcordijs Dominum JESUM, quàm expulsum turpiter abjecisse: non tam apertum adijisses salutis periculum, si nunquam fuisses consecutus reconciliationis gratiam, quàm acceptam toties contempsisse, prostituisse. Hæc attende ferid & meditare diligenter, qui graviores noxas confessus centies, in easdem tam sæpè, tam graviter, tam sine emendatione ulla prolaberis; qui per menses singulos sacratissimo Christi Corpore ac Sanguine pasceris, nec spiritalem hæctenus vitam, quam cœlestis ille panis communicat, haurire potuisti: qui totius puritatis ac sanctitatis largitorem tot jam ab hinc annis hospitio excipis, nec ullam adhuc ex ipsius præsentia atque familiaritate castimoniam atque integritatis partem retulisti. Iterum repeto, infelix Adolescens, si quis es, ad quem isthæc Oratio pertineat, melius foret nunquam impetrasse te delictorum veniam, ad Sacramenta nunquam accessisse, quàm nullum ex impertita toties misericordia emolumentum, nullam utilitatem percepisse.

Quid si Spiritûs sancti oraculis Patrum quoque testimonia adjiciamus? *eorum*, inquit Bernardus, *qui peccant, antequam Deum noverint, antequam miserationes ejus experti sint, copiosa est redemptio; ast eorum, qui post conversionem suam peccatis convicti implicentur,*

cantur.

cantur. ingrati acceptæ gratiæ, & carnales facti; utique per paucos invenias, qui post hæc redeant in gradum præstinum, sed magis in sordibus positi sordescunt adhuc. Indulgentiâ indignus est, ait Chrysostomus, qui post veniam peccat; sanitate indignus est, qui post curam se vulnerat. Ubi emendatio nulla est, inquit Augustinus, nullam esse pœnitentiam necesse est. Infinitus sum, si singula, quæ sancti Patres in peccatorum recidivos torquent, fulmina recenseam. Fuit hæc communis eorum sententia vix ullam spem salutis illius superesse, qui intermissam peccandi consuetudinem repeterent; adeò divinam exhaustisse misericordiam videbantur!


Tamen itane verò sic conclamatum esse illius salutem, qui iteratæ prolapsionis sit reus, ut nullam divinæ misericordiæ partem sperare debeat? Adeòne rigidè ac severè sumenda sunt sancti Spiritûs, Patrûmque oracula, ut molliori interpretatione temperari non debeant? hocine credibile est, sic abjectos à Deo homines ejusmodi, ut impossibile sit eos veniam rursus impetrare? Equidem, scio, Adolescentes, non sic accipiendas esse voces illas, quasi iterata peccata nullâ ratione expientur. Error hic foret Ecclesiasticis Censuris jam pridem damnatus. Fateor cum Ecclesiæ Doctoribus locutum esse Paulum cæterôsque omnes hominum more, quibus, si quid operosum & valde difficile est, id fieri non posse dicitur. Idem est itaque ac si dixissent; tantæ molis est in integrum restitui homines eos, qui post receptam Dei gratiam ab eâ exciderint, ut sine peculiari ope, ut sine miraculo ac prodigio criminum suorum vinculis exsolvi nequeant.

Igitur eò recident res tuæ, te potissimum alloquor, qui in eadem peccata quotidie relaberis, qui à Christi castris in castra Satanæ perpetuò transfugis; servari poteris, reconciliari cum Deo, restitui

tui in Dei Gratiam poteris, sed sine miraculo, sine prodigio non poteris. Nimirum ad discutiendas dissipandasque mentis tuæ tenebras opus foret abundantiori quodam lumine: Deus illud non imperiet. Ad vincendam, molliendamque cordis tui duritiam speciale gratiæ genus accommodatum indoli, animique dispositionibus attemperatum requireres, illo carebis. Convertereris fortasse à pravâ, quam ingressus es, vitiorum semitâ, si uberior adesset divinæ opis subsidium; subsidio illo privaberis. Imò tam parcè opes illas Deus asperget scelerum tuorum diurnæque perfidiæ vindex, ut vix ullo divinarum rerum, vix salutis tuæ sensu movendus sis.

Vos verò, Adolescentes, tam funestam à vestris cervicibus perniciem avertite; si jam, uti confido, divinæ gratiæ facti estis participes, state porrò, neque pia consilia, aut irritamenta cupiditatis, aut voluptatis blanditiæ, aut sanctioris vitæ difficultates intervertant. Ita stringite divinam bonitatem, nunquam ut ab æternis ejus amplexibus avelli possitis.





DE NECESSITATE
BENE TRADUCENDÆ
JUVENTUTIS.

ORATIO XVII.

*Bonum est viro, cum portaverit jugum ab
adolescencia sua, Jerem. c. 3.*

Est hic gravissimus multorum error, ut ad capeffendam virtutem minùs idoneam esse Adolescentiam putent. Nam quis nesciat, inquit, hanc esse ætatis illius indolem, ut neque ad pervidendos vitiosos animi motus attendenda, neque ad eosdem viriliter coercendos satis instructa, quod utrumque postulat virtutis ratio, esse videatur? Quis neget adhærescere quandam Juventuti ferocitatem, quam irrites potiùs, quàm expugnes? Permitti multa adolescentum cupiditatibus, quæ si non erumpunt in graviora scelera, faciles ac tolerabiles haberi solent? accrescere sensim ac pedetentim annis procedentibus maturitatem ingenio, rationi consilium, toti denique homini vim ac robur, quibus adversus difficultates egregiè comparatus, virtutis pondus, quantum, quantum est, æquiùs ferat? Non esse Juvenibus imponendas ante tempus austerioris vitæ leges; ne, dum rudi adhuc & inerudito palato ad gustandas virtutis delicias præposterâ festinatione accedunt, æternum illius capiant tædium atque fastidium.

Hæc sunt Adolescentes Christiani, quæ ætatis vestræ in gratiam, meliùs in perniciem dixerim, vulgò jactantur. Quòdque in eâ re deplorandum est

est magis, qui pro conditionis, munerisque sui ratione, tam pravæ opinioniones Juventutem dedocere præter cæteros deberent, illi vel indulgentiæ fervientes molliùs, vel cæco insanientes amore, currentem ultrò in abrupta quæque vehementiùs incitant, & ad ruinam festinanti etiam stimulos adjiciunt. Et miretur postea quispiam, si Juvenum bona pars, ut sunt naturâ præfervidi, & amantes plùs æquo libertatis, isthæc opinionum commenta, quia sibi adulantur impensius, totis amplexentur animis; vixque sibi persuaderi patiantur, ut ab ipsa adolescentia jugum Domini portare assuescant. At quoniam difficultatum molestijs plerique deterriti ab ingredienda virtutis via refugiunt, Orationem hanc sic instituem, Adolescentes, ut intelligatis nunquam difficilem minùs, quàm nunc est, vobis fore virtutis exercendæ rationem, adeoque vel carendum eâ in perpetuum esse, vel in eandem viriliter ætate vestrà incumbendum.

Quæ moram & impedimentum afferre virtuti solent, illa sunt ejusmodi, ut partim ab ipso petantur homine, partim ab exteris causis proficiantur. Est enim conditionis humanæ miserabile fatum, ut, dum ad excolendam virtutem accedimus, multa ex nobis ipsis, plura etiam extrinsecus occurrant, quibus virtutis amor retardetur. Tamen quod cæteris ætatibus meritò fortè dolendum est, quæ gravissima ex utroque illo capite virtutis incommoda experiuntur, hoc ipsum non dubitem vobis gratulari, Adolescentes, quorum ætas sic est ad virtutem comparata, ut, cum ab internis, tum ab exteris causis, vel nullas, vel facile superandas difficultates habeat; quæ duo geminâ Orationis partem demonstro, quæso, ut facitis, diligenter attendite.

I. P A R S.

I. PARS.

Ac de prioribus quidem virtutis incommodis, quæ infortunati homines in semetipsis experiuntur, cum loquor, intelligo innatam vitiosi cordis pravitatem, quæ ab ipsa primi parentis culpa ad universos hæreditariâ quasi contagio pervenit: intelligo fatalem nec deplorandam satis propensionem, quâ nolentes etiam atque inviti inclinamur ad malum: intelligo dominatrices animorum cupiditates, quæ vix bene natis suboriuntur, & in abrupta scelera miseros pertrahunt: intelligo legem illam carnis, quæ teste Paulo *Rom. 7.* legi mentis perpetuò contradicit; denique ut uno verbo complectar omnia, intestinas dissensiones, atque discordias intelligo, quas à domesticis nobisque commorantibus, ut loquitur ipse Christus, inimicis, singulis propè momenti patimur. *Inimici hominis domestici ejus. Mat. 10.*

Hinc verò primum exurgit ætatis vestræ beneficium, Adolescentes, quæ vos à domesticis illis hostibus tutos atque incolumes præstat. Agite enim, si quis vestrùm in hoc tenerrimo juventutis flore, minùs amans virtutis, si quis in reinendâ morum integritate negligentior videtur; is ne cupiditatum suarum vim ineluctabilem accuset? Non est, mihi credite, ætatis vestræ, ut tam formidolosus hostibus obnoxia sit; non potest esse cupiditatis vis tanta, ut ingenitum juvenum animis candorem obscuraret; ut impressa recens sacro purissimi agni sanguine vestigia obliteraret; ut prævaluerit contra institutionem bonam, quam nacti estis; ut pietatis ac Religionis vim omnem, quam inter assiduos studiorum labores hausistis, penitus oppresserit! vel si bono semini, quod largâ manu vestris cordibus sparsum ac disseminatum est, aliquid infelicis lolij accre-

accrevisset, non habet malum radices tam altas, ut extirpari feliciter aliquâ contensione non possit.

Jam verò quàm singulare vobis adversùs cupiditatis pravæ incitationes præsidium, quantum virtutis adjumentum accedit ab eâ providentiâ, quâ rerum omnium moderator Deus ætatis vestræ securitati atque innocentiae consulit! Nempe elanguisset nunc primùm plena suavissimæ sollicitudinis æmulatio, quâ Christus olim primigenios juventutis amores sibi tam ambitiosè vindicabat? remisisset sæculis procedentibus tenerrimus pietatis affectus, quem præ se ferre visus est in terris, cum inter confertissimam properantium ad se ætatis cujuscumque multitudinem, ipsos potissimùm parvulos fecerbat! cum ad excipiendos sacros amplexus amanter invitabat? cum paterno fovebat in sinu? cum eosdem ad exemplum, imitationemque proponebat; cum talium esse regnum cælorum affirmabat; cum ab ipsorum oculis offensivam quamlibet, quodlibet scandalum, interpositis etiam gravibus minis, removebat? Tot inter tamque illustria divinæ erga juventutem providentiæ, pietatis, benevolentiae testimonia, quàm facile est ætati vestræ perturbatis mederi animi motibus, si qui fortè orientur, & omnem virtutis exercendæ moram amputare?

At enim reclamantem audio quempiam: utinam ita nobiscum ageretur! utinam, quemadmodum sentis de nobis, sic animus affectus foret! Verùm ut parùm nôsti juventutis indolem, quam nullis vel levissimis agitari cupiditatum fluctibus æstimasti. Nescis, heu! nescis, quantis hæc ætas jactetur procellis, quàm periculosis syrtibus objecta sit. Ah! si penitissimas cordis adire latebras & arcanos animi recessus subire contigisset, sentiret oppressum jam diu pravæ cupiditatis jugo, & iniquo sub pondere fatiscentem miserareris! Adest importuna,

O

quo-

quocumque me vertam; non ego vel subterfugere possum insequentem, vel laceffentem declinare, vel coërcere oppugnantem! Nunc hæret pectori accensâ face & exitiales flammæ excitat, mox carnem fodit ac pungit stimulis acrioribus: non illam moratur locorum ratio vel temporum, quin in secreto virtutis sacrario, in ipso domicilio sanctitatis, inter augustissima Religionis mysteria funestissimas insidias paret, atque vixevitabilem corruptelam moliat.

Hocceine verum, quod quereris, Adolefcens infortunate? Ten' ego putem tam duræ servituti mancipatum? Nam quibus gradibus eò devenisse te oportet, ut, quod habet cupiditas prava funestissimum, experiare? Fructus est ille scilicet in ita jam pridem cum ipsâ cupiditate consuetudinis, cui dum servis imprudens, dum indulges molliùs, dum cupidius blandiris, dum eandem affatim explēs & exfatias, sic te ipsius arbitrio totum permisisti, ut durissimum exerceat dominium, neque liberam aut excutiendi aut detrectandi imperij facultatem relinquat. O si, cum suboriri visa est pestis terribissima, nascentem adortus esses, si nondum adultam, neque diurnitate temporis roboratam oppugnâsses, quantulâ fuisset operæ amoliri labem illam, aut damnum, si quod intulisset, resarcire!

Quaquam quid despondes animum, Adolefcens Christiane, si quis esses, in hoc ætatis flore tam tenero, qui sævientis affectus mali imperium sentires? quid juvat exaggerare verbis importunum, quo premeris servitutis jugum, quasi nullâ ratione dejici à cervicibus posset? Non est, mihi crede, tam metuendus hostis ille, quem objicis, ut ipsum aggredi refugias, vel vincere etiam desperes. Age ergo, animum erige, dum per ætatem licet, accinge te: omne periculum in morâ est;

quid

quid hæres dubius? quid refugis? Heu me! jam invasit penitiores animi partes ignis edacissimus, qui me conficit ac consumit! Falleris, dic leves scintillulas, quas dissipabis quamprimum ac restinguēs. Pullulavit in uberiore cordis solo semen pestiferum, quod vim bonæ frugis omnem oppres- sit ac suffocavit! At quantulum est, dum crevit! manum admove, non luxuriantem modò segetem amputabis, sed ipsas etiam radicum fibras evelles. Esto: sed unde me tandem expediam ex illis vin- culis, quæ mala peccandi consuetudo induxit? hæc me coërcent etiam invitum & repugnantem, vix- que liberam deinceps temperandi à flagitijs mo- ram relinquunt. Nescis, Christiane Adolefcens, quid valeas: experire tu tantùm; non sunt illa fer- rea vincula, his te, cùm volueris, tam feliciter, quàm alter Samson, expedit, & in ipsos etiam, qui nexuerunt illa, insultabis. Ah! si cum alio foret hoste depugnandum! verum enim verò res est mihi cum immundo spiritu; qualis, heu, & quan- tus hostis! At solus est; & habes tot comparata ad submovendum hostem propugnacula, tot arma ad conficiendum eundem expedita. Quantum enim & quàm efficax offertur tibi præsidium à frequenti Sacramentorum usu, ab assiduâ piorum librorum lectione, à quotidianis Moderatorum adhortationi- bus, à suavissimâ omnipotentis Dei benignitate, quæ te inter ipsam liberioris vitæ licentiam aman- ter persequitur, & arcanis usque motibus ad me- liorem frugem instigat.

Quoties enim verò, si fateri verum volueris, uberioris cujusdam luminis beneficio contemplatus ipse internam animæ tuæ faciem ingemisti dierum illorum desiderio, quibus integram ab omni mo- rum corruptelâ vitam exigebas? Unde mutatus ego tantùm, inquebas, quàm dispar meimet, quàm dissimilis ipse sum! Fuit tempus, cùm divino timore

pariter & amore plenus, vel ad ipsam sceleris umbram perhorruissem; cum levissimam deliberatâ voluntate noxam non admissem; fuit tempus, cum incredibili mentis alacritate singulas officij mei partes constanter explebam; cum tenerrimo pietatis sensu ad res divinas convolebam, cum inter castas Agni cœlestis epulas liquidissimâ voluptate perfundebar. Proh! quantam experior hodie affectuum, voluntatûmque conversionem! *Quis mihi det, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies, quibus custodiebat me Dominus?* Job. 19. Felices scilicet fortunatûque menses, cum in amantissimo divinæ bonitatis sinu conquiescens, neque paratos innocentia meâ laqueos, neque adversariorum meorum furorem metuebam. *sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secretò Deus erat in tabernaculo meo.* Job. 24. O beata pax, gaudium inexplicabile, felicitas ipsis invidenda Cœlitibus, cum tu, dulcissime Jesu, bonorum omnium fons uberrimus in intimis cordis mei penetralibus, hospitis, amici, parentis amantissimi vice fungebaris!

Hæc tu dum revolveres animo attentius, Adolescens Christiane; dum incalescente ad sacros cœlestis ignis accessus voluntate pudebat te tui, qui benignum Domini mitissimi imperium durissimo cupiditatis effrænatae jugo commutâsses; si sincerâ anteaactæ vitæ confessione flagitia tua expiâsses; si ad sacrum Christi Corporis epulum eâ, quâ par est, pietate accessisses; si arcanos animi tui recessus moderatori conscientia aperuisses; si firmus in despiciendis peccandi illecebris constansque extitisses; jam extirpata foret magnâ ex parte consuetudinis illius pravitas, neque tam grave salutis tuæ periculum adijsses. At tu, cum operi admovere manum sedulò oporteret, si interim otiaris turpiter; si cum opus esset animo forti ad reseccandas ad vivum lethiferas mali fibras, vulnus alis & palpas mol-

molliter; miraris non potuisse te ad hunc usque diem, insanum solutioris vitæ amorem compescere; imò inflammari eundem quotidie magis ac magis, & spem extinguendi illius pænè conclamatam videri.

Adeamus ipsum corruptelæ caput: quid te perdidit, infelix Adolescens? quid te perditum prohibet, quominus de resarciendis, quæ fecisti, damnis cogites? Vis dicam quod verum est? Te perdidit atque etiamnum perdit Literarum fastidium, & tua in studendo socordia: hinc prima totius mali labes, hinc ille, quem experiris in rebus divinis tepor, hinc illa morum prolapsio, in quam deservescente sensim pietatis ardore miserè devenisti. Quin ergo deponis otium, quin seriò refers animum ad studia, si suscitare pietatem languescentem, & alto vitiorum è cæno volueris emergere. Atenim malum invexit liber exitiosus; ex illo corruptissimo fonte hausisti scelerum illorum notitiam, quæ utinam æternùm ignorasses! Age ergo; flammis piacularibus abole fatale illud corruptelæ instrumentum, & nunquam violandum cum oculis tuis fœdus paciscere, ne quid lectitare deinceps sustineant, quod ab ingenuo pudore abhorreat. Quid si liberioribus inverecundisque colloquijs tanquam infecto halitu emarcuisset flos ille castitatis, cujus odor quolibet aromate suavior ad folium omnipotentis Dei erumpebat; tamen virescet ille denuò, ne dubita, si modò ab eorum familiaritate atque consortio abstinneris, quorum venenatis afflatibus primùm contabuit.

An te nequior socius fortè depravasset perniciosus illecebris, & suis implicitum laqueis etiamnum detineret, ne redeas ad meliorem frugem? Equidem scio quantam necessitudo prava labem importet; quàm gravem, ad dissolvendos fatales nexus, moram afferat. Tamen per te stabit unum,

ut malo medeâre, & vetera, quæ te illaqueant, vincula quamprimùm abrumpas. Abjice amicum illum, seu potiùs conjuratum tuæ salutis hostem: ejice pestem illam, quæ te contagio suo infecit: nihil te blanditiæ, nihil placitæ familiaritatis usus, nihil humanarum rationum momenta moveant, quominùs monstrum illud in tuam perniciem natum opprimas, & ipsius etiam memoriam, si potes, oblivione deleas sempiternâ.

Id pugnæ genus adversùm perturbatos animi motus, quales ætas vestra ferre potest, quisquis adhibuerit, Adolescentes, is certam sibi de salutis hostibus victoriam adpromittat. Nulla tam vitiosa cupiditas, tam impotens, tam altis defixa radicibus, quæ non coërceri facilè dum juvenus patitur, atque etiam evelli possit, si modò, quibus alitur ac fovetur, pabulis ac fomentis caruerit.

Quantquam reclamabit adhuc aliquis, sic increvit malum, ut medelam non admittat, nec est habitûs pravi, qui me obsidet, ea deinceps conditio, ut vinci possit. Nam quis fuit ad hunc usque diem fructus tot laborum, dum oppugnare hostem aggredior, & conferere cum ipso manus confido; quoties victus concidi, cum vicisse mihi gratularer? vel quid decertâsse cum ipso profuit, nisi ut me tam impugnando quàm resistendo imparem agnoscerem? Ut tua te ratio fallit, quisquis hæc objicis! Sed esto: tam operosa habeatur res illa, quam existimas! sit ejusmodi quod imposuit jugum consuetudo mala, ut excutere illud non valeas. Tamen nisi id feceris, quæ spes tibi salutis restat, dum fovebis in sinu labem illam, quam cœleste regnum non capit; nisi mundus à sordibus, purûsque totus inveniâre, quis declinandæ calamitatis æternæ modus objicitur? Nam quod in hoc ætatis flexu aggredi non sustines, aut perficere etiam desperas, ecquando vel molière confidentiùs, vel feliciùs con-

sum-

summabis? Postquam ætas creverit scilicet, & anni pleniore accesserint? hoc enim video unum esse per fugium, quò te recipias, si nondum omne salutis desiderium exuisti. At quid juvabit, amabo te, annorum accessio, si assiduà peccandi consuetudine novum habitui pravo pondus accesserit? si vox conscientiae revocantis ad bonam frugem reclamare deserit? si spretus insigniter & illusus per tot annos Deus opem ad pœnitendum aut imperiet parcius, aut etiam justus sceleris ultor subtraxerit. Tunc enim verò conversis in melius animis pugnabis viriliter contra cupiditatem malam, cum illa blandietur suavius; cum molles illecebras magnificentius explicabit; cum occurret nihil, quod luxum & voluptatem non suadeat, non irriter, non incendat; cum magnis auctoribus erumpet in apertum libido & reluctantem nequicquam exempli necessitate in exitium trahet? Commodum, ita me Superi ament, & idoneum mutandis corrigendisque moribus tempus ac locum, quando fovebunt & acuent depravationem omnia, nec erit quidquam, quod favere emendationi possit! Erras, mihi crede, erras, quisquis juventutis corruptelam differs maturiorem in ætatem emendandam. Noli spem inanem pascere: adolescentiæ vitijs usque ferves; tua tibi placebit servitus, dura quantumvis ac molesta sit: senties vim & acerbitatem vinculorum, nec tamen abrumpes illa, pudebit te tuæ turpitudinis, nec amare sordes tuas nihilominus defines; aut si indulgens ac misericors Deus tentanti emergere vitiorum è cœno amicam tetenderit manum, medijs in conatibus deficies æger, & eòdem postmodum relabêris; adeoque, quod jam te posse frustra dissimulas, tunc id ipsum vix ac ne vix quidem te posse revera experieris.

In illud igitur animis incumbite, Adolescentes, ut pravos habitus, si qui sunt, qui retardare

studium virtutis possent, diligenter reprimatis. Sit ille fructus ætatis vestræ, quæ non modò nullas ab internis hostibus nisi faciles vinci moras habet, quod vidistis hæctenus, sed externos etiam hostes ita removet à vobis, ut altero virtutis exercendæ obice careatis.

II. P A R S.

Quantumvis dominantur animis hominum cupiditates effrenatæ, esset tamen unde comprimi ac coërceri earum impetus non infeliciter possent, nisi vim omnem, quâ impugnare illas liceat, variæ voluptatum illecebræ, multa peccandi incitamenta infringerent. Fit enim luctuoso quodam eorum fato, qui civilibus, ut sic loquar, undis mersantur, ut tam aliunde, quàm ex se se habeant moras & impedimenta virtutis, neque minùs ab exteris, quàm à domesticis hostibus fatigentur.

Agite enim, quod mare tam famosum naufragijs, tot æstus, tam varios habere putatis, tamque metuendos scopulos, quantas tempestates, & quanta pericula mundus habet ille quem incolimus; ubi nulla virtus conquiescit unquam, sed novis quotidie insidijs appetitur, novos semper in laqueos incurrit? Nunc palàm & aperto Marte lacessit hostis, nunc clam & ex improvîso adoritur. Sæpè vim & flammam adhibet; sæpè ad illecebras conversus demulcet ac palpat. Hinc impietas fucata virtutis specie & artificio simulationis erudita, per latebras ac cuniculos molitur exitium; illic posita larvâ vexillum audacter erigit, & ad defectionem excitat. Hinc argenti nitor ac splendor auri percellunt oculos, inde voluptas sensibus suaviter blanditur. Jam imbellis timor & humanarum rationum momenta à recto bonoque sevocant; mox æstus consuetudinis & exempli vis perniciofa in exitium trahunt. Tot inter tamque diversa dimi-

cationum

rationum genera, quæ tandem virtus est, non teneram dico & imbecillam, sed tam actiosa, tam nova, tam exercitata, quæ non fatiscat aliquando atque etiam succumbat? Quare optimo cuique optandum meritò sit, ut se junctus ab ejusmodi periculis non tam operosam virtutis viam decurrat!

At, quod optare fortasse multis, quod assequi paucis liceat; id ipsum, Adolescentes Christiani, cum ætatis vestræ beneficio, tum ipsâ vitæ conditione potestis vobis gratulari. Qui enim ad integritatis vestræ custodiam potissimum advigilat Dens Optimus, Maximus, singulari suæ caritatis affectu ita disposuit omnia, nihil ut vestris moribus labem ac corruptelam inferret. Quàm multis quasi sepimentis atque aggeribus munivit vos ac vallavit, ne qua pars vestri ruinæ hostium atque incurfionibus pateret? Addidit hospitales genios, eosque aspectabiles, qui, quasi stipatores corporis, à latere vestro non discederent, qui noctes diésque excubarent vigilaréntque pro vobis, qui aditus omnes per quos irrepere malum posset, diligenter occluderent.

Gratulamini amantissimæ Dei erga vos benignitati, Adolescentes, si in hoc lætissimo florentissimæ juventutis domicilio, nihil objicitur oculis, quod teneras mentes offendat; si exulant à vobis illa vitiorum exempla, quæ vix extra septa domûs hujusce prodeuntibus, tam multa, tam varia passim occurrunt: si quantum fervet apud vos licentiæ ac pravitatis odium, tantum viget amor virtutis ac disciplinæ: si denique vel levissima dissolutionis vitæ suspicio turpissimam eorum nomini, in quos caderet, labem inurit.

Quod si luctuoso nec satis deplorando fato, quo nec ipsi religiosissimi cœtus carere possunt, integritatis atque innocentie hostis in hæc penetra-

lia se se insinuaret; ut obreperet ille tacitus & quasi suspenso gradu! ut tectus simulationum involucris & quasi velis obtentis, ut ipsâ virtutis larvâ fucatus accederet! Novit ille nimirum, quàm metuendos, quàm acres adversarios habeat; novit rem esse sibi cum sagacibus oculis, qui in speculis assidui ex occultis insidijs tutissimisque latebris emerent scelus, & in apertum conjicerent. Hinc intelligite, Adolescentes, nullius esse propemodum operæ, dum nihil admodum est, quod vos ad peccandum invitet, adolescentiam vestram à prolapsione morum tueri. Imò scitote laboriosum vobis plerùmque molestijs negotium fore, si religiose minùs ac minùs castè vivendum esset. Namque ut taceam, quo illi metu, quo pavore angi soleant, quibus improbos esse, si tales innotuerint, impunè non licet; agite, quàm durus labor, quàm grave supplicium est perversos corruptòsque mores cum recta ac bene morata in speciem vita componere? In has quippe angustias veniat necesse est, quisquis in ista probitatis schola, alienam ab hujus loci sanctitate vitam institueret.

Fingite enim, Adolescentes, quod ut à vobis æternùm absit, etiam atque etiam precor! Fingite, inquam, aliquem minùs affectum bene erga res pias, aut malâ corruptelâ depravatum in vestrum contubernium irrepere. An putatis integrum illi fore, talis ut videatur foris, qualis intus est? scilicet medius tot inter pios, castos ac pudicos adolescentes impietatis aut libidinis facem efferet? verenda Religionis mysteria cavillabitur? noxios obscénosque sermones palàm dissipabit? At quo tandem animo id ferret unusquisque vestrùm? Ut incensi, quotquot estis, pietatis ac castimonie studio in impium scurram insurgerent! ut obrectatorem importunum exagitarent! ut ab ejus consortio, tanquam à peste teterrimâ refugerent! Jam
verò

verò quàm gravis in ipsius caput tempestas extem-
plò detonet ab ijs, quorum est arcere vitium, fo-
vere pietatem, & illatam divinæ legi contumeliam
vindicare.

Si quis esset ergo tam infeliciter comparatus,
sentitis, etiam me tacente, quàm sedula cautio
habenda sit illi, ne qua in ipsum vitiatæ indolis
suspicio incidat. Igitur torqueat se se necesse est
mirum in modum, sensus ut dissimulet; petulan-
tem linguam ut coërceat; ut quoties gerere mo-
rem cupiditati placuerit, scrutetur latebras, &
flagitia sua moderatorum oculis subtrahat; ut
aversus licet à pietatis officijs, pius tamen ac re-
ligiosus habeatur. Aderit divinis mysterijs, per-
get cum alijs ad orandum, invitus quidem ac re-
luctans, qui nullo rerum istarum gustu afficiatur;
at vincet fastidium necessitas, & quoniam serviet
unicè oculis hominum, quibus facere solum oportet,
plus interdum commoveri videbitur, quàm
qui ex animo ad obeundas officiorum suorum par-
tes accedunt. Id ipsum porrò quale tormentum
est, vim facere indoli perpetuam, nullâ spe, nullo
fructu! virtutis omnes ferre molestias, & omni vir-
tutis solatio ac præmio frustrari! Mitto quales inter-
perturbationes ac metus vivendum sit illi, si, re-
currente dierum illorum solennitate, quibus Ado-
lescenti Christiano purissimi Sacramentorum fon-
tes adeundi sunt, innocentiam cum Scelere, ho-
spitis sanctitatem cum hospitij fordibus, protervus
usque dissimulator componere sustinuerit. Deus
immortalis! talésne patitur rigida quantumvis ex-
ercitatio virtutis acerbitates?

Vos attestor, quotquot hîc adestis, Adolescentes,
qui tutissimo, quod habet vestra hæc ætas ad-
versùs corruptionis contagia præsidio freti inte-
gram ab omni labe juventutem ad hunc usque diem
produxistis; vos, inquam, attestor, agite, dum se-
verior-

verior-

veriores pietatis, modestiæ, strictioris etiam disciplinae leges tam diligenter observastis, quidquamne tam durum, tam grave, tam asperum unquam occurrit, quod cum necessarijs & nusquam evitandis dissolutioris vitæ molestijs comparari possit?

Agite immortali Deo gratias, Adolescentes, quibus in hac conditione vitæ positis per virtutis semitam inoffenso pede currere liceat. Ponite in lucro illa commoda quæ nacti estis ad vitæ innocentiam, integritatem morum, pietatis æmulationem promovendam: æstimate, ut par est, ætatis vestræ conditionem, quam divina Providentia à vitiorum illecebris, exempli pravitate, peccandi incitamentis incolumem præstitit: plaudite vobis & exultate, quibus felix quædam probitatis ac sanctitatis necessitas incumbat.

Si tamen in incorrupto tot probatorum adolescentum grege inveniretur aliquis, qui vitæ nequioris difficultatem & ægritudinem virtutis facilitate ac jucunditate potiorem duceret, intelligat quàm sinistrum suæ in posterum tempus conditionis omen excitet. Nam finite me, Adolescentem hujusmodi, qualem esse reor inter vos neminem, compellare hic confidentiùs, & quod capiti suo malum accersat, salubriter admonere. Hunc saltem fructum vos omnes habebitis, ut intellectâ periculi, quod imminet ipsi, magnitudine, sitis in declinandâ morum pravitate cautiore, quàm hactenus extitistis.

Vide enimverò, Adolescens infelix, si quis esses, qui tam feliciter instructus ad virtutem, tam bene munitus contra vitiorum irritamenta, vitam agis corruptam ac depravatam, attende, quæso, mecum, quàm terribilem facias expectationem tui. Si id temporis, cum ne ipsam turpitudinis appellationem nôsse te oporteret, verbis atque exem-
plis

plis funestum inter socios nequioris corruptelæ præbes documentum; quid non audebis, cum perfecto longiori sceleris tyrocinio peritissimus artis pestiferæ magister evaseris? si conclusus inra cancellos illius receptaculi, quod vigilantia singularis & recta vivendi forma ab irritamentis peccandi securum præstant, pravos animi motus coercere non sustines; quò non erumpet libido, cum ruptis semel repagulis, in eo stadio liberiùs decurres, ubi nihil occurreret, quod non offendat oculos, cupiditates non irriteret, sensus non moveat, voluptatem non inspiret, & hominem totum insidiosâ suavitate non permulceat? Observatus ac custoditus tot speculatoribus oculis, si te proripis tamen, ut suadenti prava libidini liberiùs indulgeas; quem demum facies illicitis desiderijs modum, cum nullius testis aspectum reverebere? Nunc cum nemini licet inverecundum impunè esse, si non dubitas subire periculi aleam, & infamem inurere nomini tuo labem; quibus te flagitijs olim implicabis, cum solutus ab animadversione censoriâ, obscœnitatis etiam turpissimæ habebis approbatores.

Erras, erras, Adolescens Christiane, si futurum confidis, ut maturâ tandem ætate pravos habitus corrigas, quos fervore juventutis contraxeris. Crescunt in dies confirmanturque progressu temporis adolescentiæ cupiditates & ægro in corde consenscunt. Nisi resipiscis quantociùs, vix olim erit integrum ab ijs temperare, quibus nunc assueveris, & quas in reprimendis cupiditatibus difficultates Adolescens pertimescis, easdem senties, cum ætas accesserit, multò graviores.

Agite ergo, Adolescentes Christiani, dum sunt tranquilli appetitus & animus perturbatione caret; dum incitamenta peccandi & leviora sunt & pauca; dum beata pax ac secura quies aspirat; totis animis ad virtutem incumbite. Venient illa, venient

&

& fortasse citius, quam par esset, plenissima tempestatibus ac procellis tempora, quibus jactati cupiditatum actibus, & tentationum fluctibus abrepti vix ac ne vix quidem poteritis consistere. Quare date operam dum commodum est, ut assiduis laboribus eam vobis virtutem comparetis, quam neque perturbationum vis, neque temporum injuria labefaciet.



DE PRÆSENTIA DIVINA.

ORATIO XVIII.

*Providebam Dominum in conspectu meo
semper, quoniam à dextris est mihi, ne
commovear. Psal. 15.*

Hoc erat, quod à se tam sedulo, dum viveret, fieri solitum Regius Vates profitebatur, ut, si quid credimus ipsius testimonio, nihil videatur habuisse quidquam antiquius, quam perpetuam præsentis Dei memoriam usurpare. Movit me, ne quid dissimulem, sapientissimi Regis exemplum, idque, ut ante omnia, tanquam præcipuam piè ac sapienter instituendæ vitæ normam ac regulam, vobis ad æmulandum proponerem, operæ pretium esse existimavi.

Verùm quam putatis ob causam Virum illum, quem ab ipso Deo eruditum novimus, id curasse tam diligenter, ut præsentis sibi quodammodo
astan-

astantis Dei semper meminisset, nisi quoddam in eâ præsertim cogitatione, certum contra innatam cordis humani inconstantiam, atque infirmitatem præsidium experiretur? *Providebam, inquit, Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.*

Vultis & ipsi, Adolescentes, non commoveri ab ea salutis semitâ, quam feliciter ingressi estis? vultis non concuti varijs tentationum procellis, quibus hæc vita obnoxia est? vultis in assiduâ virtutum omnium exercitatione stabiles ac constantes permanere? Imitamini piam sancti Principis consuetudinem, & in conspectu vestro Dominum semper providete.

Atque utinam id exorare à vobis possem, ut, sin minus assiduam, frequentissimam saltem præsentis Dei memoriam revocaretis! hac me fiducia consolaretur vestræ in perpetuum incolumitati fuisse à me consultum, qui salutis impedimentum omne removissem longius, & ejusdem promovendæ rationes ac momenta subjecissem.

Ita profectò se res habet: Hæc est in assidua divinæ præsentis cogitatione vis, cum ut arceat id omne, quod afferre moram salutis possit, tum ad eandem consequendam certum subsidium paret. Salutis impedimenta Dei præsentis memoria submovet, quia peccandi stimulos atque illecebras refringit ac debilitat; Hoc primum. Eadem salutis promovendæ rationes ac momenta sufficit; quia singulare ad arduas quasque virtutes exercendas incitamentum est; hoc Alterum. Ex utroque capite, quàm sit efficax divinæ præsentis cogitatio cognoscite.

I. P A R S.

Deum esse præsentem ubicumque terrarum, circumspicere omnia & intueri penitus, singula item
au-

audire atque intelligere; & earum rerum, quas aut viderit, aut audierit, aut intellexerit, diligentem & accuratam tenere rationem, tam testatum supremæ veritatis oraculum est, Adolescentes Christiani, nihil ut vel frequentioribus, vel illustrioribus sacrarum Literarum testimonijs probatum, confirmatumque habeamus. Atque infinitus ego sim, si loca percensere omnia, imò perstringere tantum aggrediar, in quibus, ad defigendam mortalium animis Numinis sui præsentiam, Deus ipse laborare visus est. Hic *inspector cordium*, Prov. 24. illic penitioris animæ *scrutator* Sap. 1. ibi *spirituum ipsorum ponderator* Prov. 16. amat nuncupari. Jam profertur palàm ac prædicat *respicere se vias hominum*, Prov. 5. Nunc considerandis eorum vestigijs intentos habere oculos; modò vivere se in medio cuiusque nostrum, ut, quid agatur illic, melius introspiciat. Mox confugientes ad latebras, quasi divino conspectui subtrahere se niterentur, objurgans graviter atque increpans, *Vir*, inquit Jerem. 25. *in abscondito occultabimur, & ego Dominus non videbo?* Atque ut ne quis revocet in dubium, cuius tandem generis sit illud, quod ad pervidendum, quidquid à nobis agitur, & quod dicitur, audiendum, jus habet; rationem ipse statim subjicit. *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui fixit oculum, non considerat?* Psal. 39.

Neque verò miremur tam singularem in astruenda præsentia sua operam Deum posuisse. Noverat ille nimirum peritus humani cordis artifex, quale momentum ac pondus esset habitura divinæ præsentia fides; cum ut incredibilem mortalium animis imprimeret supremi Numinis reverentiam, tum ut eosdem religionis metu in officio contineret.

Atque hinc profectò viros illos suâ in Deum pietate ac fide olim tam conspicuos facer quidam hor-

horror invadebat, quoties præsentem ubique Deum, in abditissimas quâsque latebras intuentem cogitarent. Hac plenus religione beatus Job, cum hinc acutissimis doloribus, inde maledicentium injurijs premeretur, omnem obstruebat querelis auditum, cum diceret: *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* His incitatus stimulis Vates Regius cavebat admittere quidquam indignum illâ Majestate, quam adhærentem lateri suo perpetuò meminerat. Imò ineluctabilem inde vitandi peccati necessitatem accersebat, cum nullum in toto universitatis corpore locum à divino Numine vacuum deprehenderet. *Quò ibo, inquiebat, Psal. 138. à spiritu tuo, aut quò fugiam à facie tua? si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.* Hinc illa, quam sibi affirmanti quidpiam aut juranti religiosissimus quisque vir apud populos conciliabat, auctoritas, postquam stare se in conspectu Domini admonuisset. *Visit Dominus, in cujus conspectu sto. 3. Reg. 17.* Quasi mentiri in præsentia tanti Numinis non licuisset.

In hac veritatis illius luce, quæ nullius hodiè que fugiat oculos, quid esse dicam, vel quo temporum nostrorum fato fieri putem, Adolescentes, ut ad discutiendam vitiorum caliginem, nullius prope modum efficaciam esse videatur. Præsentem ubique Deum esse profiteamur omnes, quotquot fumus: nemini venit in mentem suspicari, ab eo ignorari posse, quodcumque geritur à nobis, aut ipsos cordis humani recessus abditissimos ejus oculis non patere. Tamen ita vivimus plerique, quasi captum oculis Deum, aut otiantem in cælo, aut peregrinantem longius haberemus! Unde illa fidei nostræ, morumque nostrorum discrepantia? unde hic stupor, & quædam quasi fascinatio causam habent?

Quamquam quid miremur hîc tantum, ubi causa palàm & in promptu est? Deum quidem præsen-

P

tem;

tem, oculatum, rerum omnium speculatorem credimus; at, quod totius mali fons & caput est, rem esse nobis cum tali Deo raro admodum vixque ac ne vix quidem cogitamus! Imò oculos persæpè nostros avertimus, nequa præsentis Dei subeat animis cogitatio, quæ meditantibus prava moras injiciat, molientes turpia perturbet, & ad flagitia toto cupiditatum impetu proruentes refrænet ac coercet.

Nam quem mortaliū, si modò non exuit omnem de Deo fidem, peccare non pudeat, dum se divinæ Majestatis in conspectu & sub oculis ejus positum meminerit? Date mihi hominem tam ferocem, tam oblitum sui, tam fortibus ad peccandum illecebris incitatum, tam pravâ vitiorum consuetudine corruptum, ut liberam temperandi à peccato moram habere non videatur. Tamen putatis futurum, ut non remittat cupiditatis furor, visque oppugnationis elanguescat, si maturo secum animo perpenderit; eum, quem laceffere atque irritare peccato parat, adesse flagitij sui testem, eundemque severum aliquando judicem atque ultorem exiturum.

Vestram ipsorum fidem postulo, Adolescentes! agite; si quem è vobis vel propensior ad voluptatem indoles, vel tentationis illecebra, vel perniciosi socij improbuli consuetudo, vel exempli pravi pondus atque auctoritas ad lethale facinus aliquando rapuerunt; fateatur ille, quod verum est; an præsentis Dei, & ad flagitium suum attenti memoriam usurpavit? an se inexpugnabili divinæ præsentia clypeo contra ignea nequissimi spiritus telatuitus est? an oblatum sibi in tam salubri cogitatione robur suæ infirmitatis in subsidium adhibuit? Ah! si tum maximè, cum urgeret tentatio vehementior, cum in ipsa metuendæ voraginis crepidine periclitanti terribilis lapsus immineret; si tunc inquam cogi-

cogitare subijisset præsentem Deum, audeo dicere, Infortunate adolescens, quisquis es, non peccâsses; cupiditatis incitatæ motus repressisses; socij nequioris audaciæ ac libidini obstitisses; contra torrentem exempli pravi animum obfirmâsses, neque purissimos Dei omnipotentis oculos tristissimo sceleris tui spectaculo offendisses.

Nam qualem ego te putem, qui, quoties animum adjicis ad peccandum, tam sedulò mortalium aspectum subterfugis; tam diligenter recurris ad latebras & secretiores angulos; tam solerter provides, ne quis, præter consortes ejusdem pravitatis, perpetrandi mox sceleris conscius esse possit? Tu scilicet tam cautus, tam prudens, tam sollicitus in declinando homuncionis etiam cujuslibet aspectu, Dei omnia intuentis oculos & ora non erubesceres? nullam duceres habendam divinæ Majestati reverentiam? faciem illam, quam cervicibus pronis beati Spiritus adorant ac reverentur, turpibus & obscœnis facinoribus coràm illuderet? Non ego te, quidquid in contrarium objectes, tam præfractæ frontis æstimem; aliam de tuâ veracundia opinionem bonitas indolis, liberalis educatio, insitus animo juvenili pudor injiciunt. Dicamus, quod res est, Adolescentes, si quando divinam violare legem etiam in re gravi vobis contigit, plus in singulis vestrâ cœcitatibus aut imprudentiæ fuit, quàm malitiæ atque pravitatis; & quod de unoquoque peccante jactari solet, id in ætatem vestram præsertim cadit, ut rerum æternarum ignorantia potius, quàm nequitia cordis ad peccandum inducatur.

Idque adeò verum esse putatote, nihil ut tantopere præcavere soleat generis humani juratus hostis, quoties ad peccandum quempiam impellit, quàm ne illecebrosis vitiorum lenocinijs irretita mens præsentis ubique Dei & ad mortalium flagitia

semper erecti recordetur. Hinc ille apud Danielem, cum duobus nequissimis senibus turpissimos obscenæ libidinis sensus afflasset, impulissetque eos, ut castissimæ Susannæ pudicitiam attentarent, legitur providisse ante omnia, ne, quos incitabat ad sceleratissimas voluptates, ijs præsentis Dei cogitatio suboriretur. *Everterunt*, inquit Scriptura, *sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ne viderent cælum & iudiciorum rectorum recordarentur.* Dan. 13. Quasi verò laxare fræna illicitis, pudendisque desiderijs non potuissent, nisi priùs Dei præsentis cogitationem importunam penitus excussissent.

At Susanna contra, mulier illa tam pudica quid fecit, ut titillantis cupiditatis illecebras comprimeret? quo se adversus iniquitatem atque malitiam præsidio tuta est? quod armorum genus ad propellendos impuri hostis impetus adhibuit? Cogitate quæso mecum, Adolescentes, quales inter angustias infortunata mulier versaretur. Infilierant in eam viri duo totius civitatis Principes, ambo Judices populi hoc anno constituti; quibus spectata nobilitas, canities veneranda, & amplissimi, quo fungebantur, muneris amplitudo auctoritatem quandam ac fidem nemini inficiendam conciliabat. Instabant gemini prædones, & blanditijs primùm ac promissis illam adorti, mox interjecto iudiciorum metu, quæ laturos erant tanquam in adulteram, nisi se eorum libidini permitteret, miseram territabant. Erat Susanna sola, indefensa, omni ope auxiliòque destituta. Aderat nemo, qui suppetias ferret, qui veteratorum senum injuriam repelleret, qui testimonium afflictæ innocentie redderet. Quid agat illa? quid statuatur? quid in arctissimis difficillimisque rerum angustijs consilij capiat? Audite Susannam ipsam, Adolescentes, & ex ipsius querelis plenam gravissimo periculo solitudinem intelligite. *Angustia mihi undique*, inquit

quit Susanna ingemiscens ! *si enim hoc egero, mors mihi est. si autem non egero, non effugiam manus vestras.* Dan. 13. At quis erit tandem ancipitis pugnae exitus ? quis præcipiti ruinae proximam eripiet ? quis è tanto discrimine tutam & incolumem præstabit ? Ecce succurrit Dei præsentis, & ab alto intuentis omnia recordatio. Illa, illa fluctuantem animum sustinet, spes erigit, & adversus terribiles pudendæ mortis minas periclitantem innocentiam confirmat. Audite rursus Susannam loquentem, Adolescentes ; excipite dignum castissimâ muliere consilium, & auream vocem altissimis animis defigite. *Melius est mihi, exclamat Susanna, senum impudicorum injuriam, quantum erat in se, propulsans, Melius est mihi absque opere cadere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Ibid.

Quid prohibet, Adolescentes, quominus eodem vos contra paratas integritati vestrae insidias præsidio tueamini ? Neque enim vel huic ætatulæ, quam exigitis, dimicationes suæ desunt, in quibus strenuos esse vos atque constantes oporteat ; nisi cedere turpiter hosti teterrimo, & amissâ libertate filiorum Dei, tristissimum servitutis jugum subire volueritis. Sunt in hoc, quod decurritis, lubrico & ancipiti vitæ stadio diversi generis discrimina, quæ incurijs plus æquo, minusque diligentibus funestissimam non modò tranquillitatis ac pacis, sed salutis ipsius jacturam afferant. Experimenti quotidie periculosas non unius modi tentationes, quarum in coercendâ ac refringendâ vi plerumque deficitis. Cur igitur oblatum vobis in divinâ præsentia singulare subsidium negligitis ? cur quoties invitant & impellunt ad peccandum vel illecebræ voluptatis, vel immundi Spiritûs oppugnationes, vel deteriora sociorum exempla, cur, inquam, non pensatis istud serid ? Deus me videt, Deus perscrutatur intima cordis illius, quod impuris cogitatio-

nibus & illicitis desiderijs depascitur! Deus aderit spectator ac testis facinoris illius turpissimi, quod perpetrare meditor, idemque perpetratum accuratè excutiet ac severè vindicabit. An ego tam parùm verear præsentem Dei omnipotentis majestatem? an purissimos ipsius oculos offendere sustineam? an severissimi judicij subire non reformidem aleam? Imprudentem me profectò, invecundum nimis, & rerum mearum parùm amantem, si id admittere in præsentia divini Numinis non erubescam, quod in conspectu gravissimi cujuscumque viri fecisse me pigeret! Hos vobis sensus, ne dubitate, Adolescentes, divinæ præsentia memoria injiciet; hoc impertiet contra incitamenta quæque peccandi grave propositum; neque in ijs tantùm temporum articulis, quandiu contigerit nobiscum versari, sanctos scelerisque puros præstabit; sed tunc maximè, cùm ætatis conditio nostris ab ulnis, inter quas ab infantia adolevistis, vos abstrahet, divini timoris pariter & amoris studiosos cultores in perpetuum tempus conservabit.

Nam quid ego dissimulem, quod sentio, & justissimos, qui me angunt, pro salute vestrà metus dubitem aperire? Ecce vestrùm bona pars, ex isto pietatis domicilio & Lycæo virtutis, in apertum ac patentem liberioris vitæ campum non ita multò post excedet. Ecce non planam deinceps ac securam, sed plenam pedicis ac laqueis viam decurretis. Non deerunt, mihi credite, in medio nationis pravæ positos hostes tam numero, quàm robore suo metuendi, qui partem tanto tempore, tamque multis impensis virtutis suppellectilem vobis invidebunt, & suas vos pertrahere in partes contendunt. Alij ventilabunt illam, quam imbuistis jam dudum, orandi, confitendi, & ad sacra mysteria statis temporibus accedendi piam laudabilemque consuetudinem. Alij pudorem ingenuæ men-

tis, quo nituistis per tot annos in hoc florentissimæ
juventutis contubernio, labefactare aggredientur.
Alij pudicas ac religiosas aures obscœnis sermoni-
bus & impuris cantilenis violabunt. Alij verecundis
oculis parùm modestas imagines, aut pestiferos ne-
quitia magistros perniciosâ volumina obtrudent.
Alij mollibus illecebris & compositis ad infamem
corruptelam blanditijs juratum toties ante Ara
Deo virginique Deiparæ pudicitiaë propositum op-
pugnabunt. Alij, quod blanditiarum viâ non asse-
quentur, id apertâ vi, palàm & audacter tentabunt.
Horum sibila, illorum jocos, istorum convicia fe-
renda plerùmque habebitis. Hærebitis nonnun-
quam inter ejusmodi deprehensi angustias; virtu-
tem inter & vitium, Deum inter & Dæmonem in-
certi fluctuabitis. At, si firmum invictumque con-
tra mundi, carnis ac Dæmonum insidias robur
habere volueritis, cogitate in his rerum adjunctis
præsentem Deum: repræsentate vobis illum, quasi
spectatorem illius certaminis quod sustinendum
vobis cum vestræ innocentiaë hostibus incumbet.
Veniat vobis in mentem, ipsum adesse vel magnifi-
cum muneratorem, si firmiter steteritis inter ad-
versantes procellas ac tempestates, vel severum
ultorem, si ignavo fracti metu cupiditatum flucti-
bus cesseritis. Hac cogitatione fretos pudebit quid-
quam admittere, quod mundissimos divini Numi-
nis oculos offendat; aut certè implacabilis justi-
tiaë ejusdem severitas quantumvis ad flagitium pro-
nos in officio continebit.

Sentio urgeri me nimirum brevibus properan-
tis horæ angustijs, Adolescentes; neque fas esse
mihi persequi fusiùs, quod secundo loco demon-
strandum proposueram: eam esse nimirum in di-
vinæ præsentiaë cogitatione vim, non solùm ut in
peccati fugâ fortes ac constantes præster, quod
hactenus confectum est, sed in virtutum etiam

difficillimarum exercitatione firmos atque invictos efficiat. Quare hoc habebis satis, admonere vos, hanc esse presentis ubique Dei memoriam: quæ, cum sanctissimis quibusque viris durissimos anterioris vitæ labores mitigavit semper, tum martyribus præsertim insuperabilem media inter supplicia animam addiderit.

PARS II.

Agite enim verò; unde vis illa Christianis in heroibus, quam nullus tormentorum apparatus infringeret? unde in ipsis firmitatis tantum ac constantiæ, ut gravissimis in cruciatibus suos tortores illuderent, nedum ab ijs vincerentur? Quid naturam fragilem ex se se minusque patientem doloris ita confirmabat, ut ad omnem pœnarum sensum videretur obduruisse?

Ecce inter horrendos conjuratæ multitudinis clamores & ululatus imperterritus Stephanus, inter lethiferos depluentium undique lapidum acervos constans & erectus etiam pro crudelibus parricidis veniam orat & precatur. Causam inquiri tam inaudite fortitudinis. *Video, inquit Stephanus, Cælos apertos, & Jesum stantem à dextris virtutis Dei.* Act. 7. Ecce ardenti craticulæ superpositus Laurentius impotentis tyranni furias ridet & cogitatione mentis defixus in Deum totus, versari corpus jubet partem in omnem, quasi flammaram vim non sentiret. Ecce contumelias & probra, fustes, verbera, concisiones artuum Apostoli, quotquot sunt, omnes in lucro ponunt, quia dignum Deo totique cœlesti curiæ spectaculum exhibere se intelligunt. *spectaculum facti sumus Deo & Angelis & hominibus.* 1. Cor. 4. Ecce quaritur novum suppliciorum genus; exercet se se crudelis carnificum industria ad labefactandam eorum constantiam, quibus flamma ferrumque pepercerat: at illi lætantur interea ac

triumphant, dum respiciunt in auctorem fidei & consummatorem Jesum, Heb. 12. quem spectatorem sui certaminis, & ad gravissimos labores exantlandos potentissimum adhortatorem intuentur.

Hac eadem incensus divinæ præsentis memoriæ septennis puer Machabæus tantum in se roboris sensit accrescere, ut immanibus supplicijs nequam impar perferendis existeret. Restabat ille superstes unus septem è fratribus, qui suum pro tuendâ lege Dei sanctissimâ caput devoverant. Illum pia mater conspicata, dum ætatulæ imbecillitati metuit, vehementer cæpit adhortari, dolore ne cederet, atque ut infantilem confirmaret animum, & contra suppliciorum acerbitatem ipsûmque adeo mortis metum roboraret, hoc unum precabatur; *Peto, nate, ut aspicias cælum: 2. Mach. 7.* tantam ex præsentis illic Dei cogitatione firmitatem animi adfuturam confisa, quanta ad vincendas Tyranni furias sufficeret. Non fefellit parentem amantissimam spes sua, talem in puero fortitudinem experta est, qualem in filiorum singulis suspexerat.

Sinite, Adolescentes, ut eodem pariter modo unumquemque vestrum hodie compellem, & ad superandum, si quid est in via salutis durius, intuentis vos ab alto Dei consideratione spes vestras suscitent, & resides animos accendam. Tibi durum videtur atque arduum, Adolescens Christiane, præferocem illam ac morosam indolem, quam nactus es, moderari; grave quiddam est atque intolerabile obtemperare moderatoribus, sodalibus identidem cedere, & ijs subesse nonnunquam, quos inferiores tibi vel natalium forte, vel ingenio, vel conditione vitæ reputasti. Vis coercere nascentem superbiam, modestiam perdoceri, informari ad mansuetudinem? *Peto, nate, ut aspicias cælum; ut adesse illic cogites præsentem Deum, victoriarum,*

P §

quas

quas de te ipse retuleris, sedulum attentumque
 spectatorem. Tu quem innata quædam animi mol-
 lities & deses socordia deperit totum ac depravat;
 nôsti, quàm multorum vitiorum fons & origo sit
 segnis ille languor atque iners otium, quo diffuis:
 quàm asperum operosumque promovendis stu-
 diorum laboribus, tuendæ morum integritati, bea-
 titudini comparandæ obicem importet: at te
 scientiarum molestiæ miserum exanimant; tibi li-
 brorum sarcina pondus quoddam Ætnâ ipso gra-
 vius est; ipsum vel Literarum nomen fastidium
 parit. Vis torporem deponere, excutere veter-
 num, acres ad abolendam pestem illam animos
 resumere? Peto, Nate, ut aspicias cælum. Te si
 levitatis atque inconstantiae nunc demum piget;
 nam cur illius non pigeat, quam innocentiae tuæ
 moribus tam fatalem expertus es? Hinc enim ille
 divinis in rebus tepor, hinc in verbis petulantia,
 scurrilitas in colloquijs, in factis procacitas, in
 templis inverecunda frons, in obeundis officij
 partibus negligentia, & totius hominis corruptela
 quædam promanat. His si mederi incommodis
 melioris vitæ cupidus statuisti, peto, Nate, ut
 aspicias cælum; hinc te præsens Deus modestiæ,
 pudoris, verecundiæ admonebit, & novum ad
 emendandam levitatem robur sufficiet. Te verò,
 quem Deus peculiari quodam amore complexus
 è corrupto mundi tractu in puriore cæli plagâ
 collocatum velit; quem ad perfectius sanctiusque
 vivendi institutum jam pridem inclinat; si viarum
 angustiae, locorum asperitates, difficultatum me-
 tus, commoditatum amor, splendidioris cujus-
 dam fortunæ expectatio detinent, uti fati pro-
 clive est, & inanes causarum umbras obtendunt,
 quibus vocantem Deum eludas, peto, Nate, ut
 aspicias cælum; ut Christum cogites pugnae il-
 lius

lius testem ac contemplatorem, quam cum mundo ipsiusque illecebris fustigendam habes; ut intuearis in manibus ejus laureas, quibus victorem te cingere ac triumphantem parat; tunc evanescent mihi crede, omnes difficultatum umbræ; & quæ gravissimos merus incutiunt disciplinæ severioris instituta, facilia prorsus & expedita videbuntur.

Denique præsentiam Dei, Adolescentes, quotquot estis, fortissimam veluti armaturam & nulli usquam telo penetrabilem assumite. Sit illa vobis præsentissimum ubique adversus quascumque vitiorum illecebras & contra virtutis asperitates atque molestias præsidium. Hæc adfit cogitatio animo frequens, dum decumbitis, dum surgitis, dum oratis, dum studetis, dum comeditis, dum luditis. Noctu, de die, in solitudine, in hominum cœtibus mentem occupet. Versetur illa vobiscum domi, comitetur foris, peregrinetur, rusticetur. Olim cum adoleveritis, inter armorum tumultus, perturbationes fori, negotiorum commercia, in quacumque demum vitæ sorte fidelis usque comes adsistat. Erit, hæc erit, ne dubitate, divinæ præsentia vis atque efficacia, ut ab omni vitiorum labe puros in hac vitâ præstet, sanctos in conspectu tremendæ majestatis aliquando exhibeat; universos denique in cœlo collocet nunquam æternitate totâ à mutuis invicem complexibus divellendos.



DE



DE STATU
VITÆ
RITE ELIGENDO.

ORATIO XIX.

*Da mihi sedium tuarum assistricem Sapi-
entiam ut sciam, quid acceptum sit
apud te. Sap. 9.*

ITa orabat olim sapientissimus post hominum me-
moriam Salomon, qui populi Israëliti Rex
constitutus, cum impetrandi, quæcumque vel-
let, fidem accepisset ab ipso Deo, cogitationes
omnes suas ac vota ed. conclusit ac terminavit, ut
uberiore cælestis Sapientiæ lumine illustratus, &
divinam voluntatem intelligeret, & intellectam se-
mel virilliter ac constanter sequeretur. Hujus por-
rò precationis geminum fructum tulit Rex sapien-
tissimus, ut & spiritum Sapientiæ, quem tam ar-
denter concupiërat, obtineret, nec cæteris aded
rebus, quas contempserat, privaretur. *Optavi,*
inquit ipse, & datus est mihi sensus; invocavi, &
venit in me spiritus Sapientiæ. Sap. 7. Mox uberrimos
ejusdem Sapientiæ fructus respiciens, subjicit, *&*
venerunt mihi omnia pariter bona cum illâ. Tantæ
nimirum fuerunt Principis illius opes, potentia
tanta, tanta gloria, ut reliquis toto orbe Regibus
longè præcelleret.

Atque

Atque utinam, Adolescentes Christiani, sapientissimi Regis exemplo induceretis animum, nihil esse unicuique vestrum in vita optandum magis, quam ut ejusdem Sapientiæ beneficio dignoscere vobis liceat peculiarem illam divinæ voluntatis rationem, quæ singulos vestrum atinet, & certæ cuiuspiam vitæ conditioni, dum vos conderet, addidit. Utinam superni illius luminis adipiscendi desiderio frequenter cum Salomone precaremini; *Da mihi sedium tuarum assistentem Sapientiam, ut sciam quid sit acceptum apud te.*

Verum quotusquisque vestrum est, Adolescentes carissimi, qui in perscrutando divinam in eâ re voluntatem, aut laboraverit hæcenus, aut laborandum sibi esse etiam duxerit? Alij innatâ quâdam levitate mentis abducti nec cogitarunt unquam fortasse, rem illam esse operum suorum; alij cum satis intelligant, in eligendo vitæ statu momentum esse ad salutem æternam plurimum; tamen, quasi res ejusmodi maturiorem ætatem requireret, illam ab adolescentiâ sollicitudinem in aliud vitæ tempus rejiciendam putant. Alij veritatem plura Deus ab ipsis postulet, quam præstare velint, satius esse æstimant divinam penitus nescire voluntatem, quam in eâdem exequendâ, ubi illa innotuerit, minus obsequentes videri.

Hæc & alia, quæ ætatis vestræ vel ignorantia, vel socordia, vel incuria certè prætexere solet, ut statim præcidam omnia, operæ pretium esse duxi, Adolescentes, de eligendo ritè, & secundùm Christianæ Sapientiæ leges vitæ statu verba facere; ratus nullum esse dicendi argumentum, quod aut vestræ magis conveniret ætati, aut plûs ad salutis vestræ rationem pertineret. Atque ut uno quasi intuitu pervideatis, quæ futura sit Oratione geminâ series & ordo rerum quem sequar, duo aggrediar probare, Alterum quanti sit ad salutem vestram
æternam

æternam momenti, destinatam vobis à divinâ Providentiâ ingredi vitæ conditionem. Alterum, quam inire rationem oporteat, ad cognoscendam peculiarem illam vitæ sortem, quam vobis Deus amplectendam præscripsit. Intellegitis ergo primùm, providendum vobis ante omnia, si vestræ in perpetuum tempus felicitati consulere volueritis, ut in vitæ statu eligendo divinam voluntatem, tanquam certissimam atque unicam bonæ electionis regulam ac normam sequamini. Deinde multiplicem ac variam subjiciam vobis divinæ voluntatis indagandæ viam. Quæ duo pro virili partem exequor, oro vos atque obtestor, Adolescentes, ne quis existimet hæc dici à me, quasi quempiam è vobis vel ad religiosum institutum, vel ad Ecclesiasticam disciplinam velim allicere; cum eò tantùm spectet Oratio mea, nihil ut temerè, nihil, nisi consulto priùs Deo, in eo genere suscipiatis.

Est hæc omnipotentis Dei in universum genus humanum tam bene affecta voluntas, neminem ut ab æternâ beatitudine exclusum velit, sed omnes ad eandem gloriam invitet, ac, quantum est in se, quotquot sunt homines, promoveat. Deus, inquit Apostolus, *omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Hoc terribilissimo in unumquemque nostrum affectu, sic Deus Pater dilexit mundum, ut cum æternæ servituti eundem mancipatum cerneret, Filium suum unigenitum liberandis omnibus tradere non dubitaverit. Hac eadem impulsus caritate Dei Filius, *qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, Philip. 2.* ita se communem in arâ crucis victimam expiandis totius mundi flagitijs obtulit, ut effusione purissimi sanguinis iratum nobis divinum Numen placaret, & morte suâ æternæ felicitatis aditum reseraret.

Hæc

Hæc cum vera sunt, & ipso veritatis signacula confirmata; tum illud certè verissimum, multas esse ac varias ab omnipotente Deo præsignatas vitæ semitas, per quas genus hominum ad eundem cœlestis patriæ terminum perducere statuerit. Hinc illa tanta conditionum, ordinum, officiorumque diversitas, militarem dico vitam, forensam, aulicam, servilem, liberam, religiosam, Ecclesiasticam, mercimonijs deditam, quas non tam ad hujus spectabilis mundi pulchritudinem atque ornatum divina Providentia constituit, quàm ut mortalium salutem spectaret, nobisque faceret palàm, nullam esse ex ijs omnibus viam, quæ ad cœlum denique non pertineret. Quod ut persuasissimum esse nemini non debet, ita & illud citra controversiam positum, non omnia pariter omnibus expedire, nec eundem singulis vitæ tramitem aperiri: aliam aliâ convenientiorem quibusdam esse sortem, militare alteri, alteri religiosum, forensam alteri vitæ genus à Deo destinatum ad salutem, à quo non possit sine maximo rerum aternarum periculo deflectere. Hic secretus ab omni terrenarum occupationum commercio optatum beatæ felicitatis portum attinget, qui, si rerum civilium undis se immerferit, tempestatum fluctibus absumptus miserabile naufragium patietur. Ille Ecclesiasticæ disciplinæ mancipatus, tutissimumque adversus morum corruptelam nactus præsidium, cœlum merebitur; qui profanæ militiæ adscriptus, armorumque licentiâ depravatus in sempiternum exitium corruet: alter molestas rei domesticæ curas atque sollicitudines cum ipso salutis negotio feliciter componet, qui semotus idem à strepitu hominumque consortio, dulcissimum, quod optare virtus possit, perfugium certam in ruinam converteret.

In eo igitur totius rei cardo vertitur, ut, quod cuique Deus præfinierit vivendi institutum, illud, si servare animam suam velit, omni studio amplectendum putet. Neque enim vestrum est quascunque pro arbitrio ac libidine arripere vitæ partes, & per omnem promiscuè semitam ad cœlestem patriam contendere. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Joan. 6. Verba sunt ipsius Christi, Adolescentes, quibus derogare fidem nullus audeat. Religioso te jugo mancipasti, militaribus institutis nomen dedisti, forensibus te rebus applicuisti, mercimonijs operam dedisti: quo duce? quo auspice? quo auctore? Tui te nimirum parentes illuc impulerunt; ijs te ipse studijs applicuisti? miserum te, qui tuum ipsius arbitrium, qui parentum in eâ re libidinem secutus sis; pessimè salutem tuam consulisti. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum:* non tractus à Deo, non vocatus, sed intrusus ab alijs, sed per te imprudenter inductus es.

Nolite itaque efferre magnificentius, Adolescentes, quod à multis jactari solet; nihil aut parum interesse, quam quisque sortem adeat, multas suppetere ad eundem beatitudinis terminum perveniendi vias, nullum esse vitæ statum, si modò divinæ legi non repugnet, quem Deus ipse non instituerit ac consecraverit, plurimos in unoquoque vivendi instituto extitisse viros probatissimos, qui illud morum innocentiam, virtutum exemplis, vitæ sanctitate illustrarunt. Nam cum hæc vera esse ultrò fatear, non ita pariter concesserim vestro cuiusque permitti arbitrio, ut, qui maximè arriserit vitæ status, hunc sine discrimine, sine delectu statim ambiat. Frustra enim verò existimes, Adolescens Christiane, quamcumque tu inièris vitæ rationem, eandem tibi ad salutem æternam adjumento fore, tibi, inquam, quem ad peculiarem vivendi

for-

formam Deus vocavit. Frustra te per latam ac spatiosam viam ad beatam immortalitatem perventurum esse confidas, si per arctum & angustum trahit tibi sit, ita volente Deo, incedendum. Videte ergo, ne vos malus error illudat & inanibus ratiunculis fecisse vobis fucum videatur. Nullum est enim insidiarum genus, quo humani generis hostis feliciter abutatur juventutis in perniciem, quam si diversa vivendi instituta eodem penitus modo ad salutis negotium conferre persuaserit. Hoc enim semel assecutus, adolescentem quemvis in requirendâ divinâ voluntate indiligentem & incurium efficiet; exorta sæpè strictioris ac religiosioris vitæ desideria suffocabit, & vim divinæ vocationis tanto necessitudinis vinculo cum ipsâ salute connexam, inanem prorsus atque irritam dabit.

Quotusquisque enim juvenum est, si modò sit amans plus æquo sui, & ad liberioris vitæ formam propensior, quem isthæc rationum momenta non inclinent, dum Spiritus nequam passim obtrudet, eam esse divinæ dispositionis legem, ut non eandem ab omnibus omnino hominibus sanctitatis perfectionem exigat: mansiones in domo Dei, teste ipso Christo, *Joan. 14.* esse multas ac varias; frustra institutos fuisse à Deo tam diversos in humanâ vitâ officiorum ordines, nisi ad eos profitendos ac consecrandos idem Deus non paucos invitasset; non esse tantam hujus sæculi pravitatem, ut non reperire sit plurimos, qui se vel in mediationis prævæ ab omni contagio tutos præstent atque incolumes.

Neque hic porrò conquiescit veterator ille callidus, quin prætentâ majoris etiam boni expectatione vocantis intus ad meliora Dei stimulos omnes hebetet ac retundat. Fingite enim verò quempiam arcanis à Deo motibus incitari ad religiosum institutum; si speciosis, quas modò sub

Q

jeci,

jeci, rationibus divinam vocationem labefactare non valuerit, tum Spiritus boni ingenium, ut solet, ac morem assimulans, mundum ipsum tanquam amplissimum cujuscumque virtutis exercendae theatrum adolescentis animo exhibebit. Hic demum, inquiet, sinceræ pietati profitendæ locus est, ubi Religio impugnatur apertius: hic efflorescit tantò magis castimonie studium, quantò minùs illa colitur & amatur: nusquam se prodit tam opportunè caritas, quàm ubi opitulandi miseris frequens occasio ac perpetua quædam necessitas occurrit; uno verbo quisquis volet rigidum se virtutis defensorrem, ac satellitem profiteri, id ubi præstet illustrius, quàm apud eos, qui tam antiquas cum ipsâ virtute inimicitias exercent?

His atque alijs præventus adolescentis animus, quàm pronum est, sibi ut persuadeat, nihil esse revera, quòd rigidius ineat vivendi institutum, cum nullum immineat periculum, si paulò commodius vitæ genus sectetur; at licet non desistat Deus urgere cessantem, & admonere tacitum discriminis, quod in procelloso mundi pelago decurritur; confusus plùs æquo viribus, ac certus obluetari fortiter contra torrentem corruptelæ, obdurescere non dubitat vocantis Dei stimulis; demens, qui non intelligat, quanta sit humanæ voluntatis imbecillitas, quam divina non fulciat ac sustentet.

At enim si res ita se habet, inquires, quid demum restat, nisi ut omnes quotquot sunt, homines, abdicatâ rerum terrenarum solitudine, religiosi se institutis mancipent, quo quid alienum magis ab eo rerum ordine, quem ab omni ævo divina Providentia constituit? Ut me ignoras, Adolescens Christiane, quisquis hæc objicis. Absit enim verò, ut ego velim, vel ad eundem omnes vocari perfectionis gradum, vel extra religiosas familias nemini ad cælum viam patere; vel denique ullum

re-

reprobati à Deo statum, qui malus ex se se videri non possit. Imò nullus est ejusmodi, qui suis ad salutem præsidij non sit instructus: in quo moratam ac piam traducere vitam non liceat, si illius ingrediendi auctorem Deum ac ducem habueris. Verùm hoc tibi incumbit unum, ut divinam in eâ re voluntatem requiras; ut inconsulto Deo nihil statuendum arbitreris; ut tibi persuadeas rem momenti hujus, neque tuo ipsius arbitrio, neque parentum voluntati, neque humanis consilijs esse permittendam. Illius est, qui novit figmentum nostrum, consulere, quid nobis maximè conveniat; illius est accommodare singulorum ingenio atque indoli, eas vitæ partes, quas ad majorem sui nominis gloriam, & ad propriam uniuscujusque utilitatem magis conducere noverit. Illius est hunc vocare ad solitudinem, ut loquatur ad cor ejus; *Osea 2.* illum inter ipsas corruptelæ illecebras positum ab omni prorsus contagionis vitio præstare incolumem; istum inter medios armorum tumultus sublimioris cujusdam sanctitatis exemplum statuere. Nobis verò hæc una sollicitudinis ratio, id unum negotij genus imponitur, ut divinæ voluntatis propositum pernoscere, quantum est in nobis, contendamus, cognitum semel magnâ animi alacritate exequamur.

Atque ut liquidius intelligatis, quanti ad salutem æternam intersit, eum ingredi vitæ statum, qui sit quasi sigillo supremæ voluntatis impressus; istud considerate diligenter, Adolescentes Christiani, eum esse divinæ Providentiæ ordinem, ut, dum quempiam alicui vitæ instituto destinat, cum eo pariter instituto uberiora quædam gratiæ componat adjumenta, quibus ille fretus singulas officij sui in eâ vivendi formâ partes ac munia facilius atque alacrius impleat, & varia, quibus singulæ vitæ conditiones obnoxia sunt, pericula de-

Q 2

clinare

clinare possit. Nullum est enim vitæ genus, quod suis non teneatur legibus, quod suas non habeat difficultates, & propria quædam salutis discrimina, quæ facillè quidem ac nullo ferè negotio declinaveris, si comparatis adversùs isthæc obstacula præsidij adjuvère, eadem verò vix ac ne vix quidem superes, si iisdem auxilijs fueris destitutus. Agite, Adolescentes, ad vestram ipsorum in eâ re experientiam vos provoco.

Mirari sæpenumero vobis contigit, quæ fieret, ut Juvenes aliqui, quibuscum in eadem societate vivebatis, non ita pridem, postquam religiosas familias ingressi essent, ijs ultrò carerent vitæ commodis atque oblectamentis, quorum paulò ante nihilo minus, quàm cæteri, amantes viderentur. Offerebant se se vestris oculis tristissima quædam durioris rigidiorisque disciplinæ indicia. Victus tenuis, vestitus asper, paupertas horrida, iuge silentium, solitudo maxima, perpetuum ab omni voluptate divortium; & tamen inter tot asperitates atque molestias, nihil erat in ipsorum oculis, nihil in ore, nihil in vultu, nihil in totâ corporis habitudine, quod singularem lætitiâ, beatâque tranquillitatem animi non præ se ferret. Unde hæc tanta, tam repentina indolis, animorum, voluntatumque conversio? Ecce illi, qui ad amplissimas hæreditates inhiabant, rebus jam carere omnibus facile sustinent; qui curandæ cuticulæ nuper indulgebant molliùs, gravissimas hodie corporis afflictiones sponte ambiunt; qui nobilitate generis & fortunæ lætioris expectatione freti altissimos spiritus induerant, nunc ab obeundis vilissimis ministerijs minimè refugiunt. Hóccine fatum esse dixeris levitatis & inconstantia, quæ juvenum animis insita sensus ejusmodi, affectusque à naturâ tam alienos atque abhorrentes induerit? An non potiùs æquum est existimare mutationem tam insolitam

solitam opus esse cœlestis gratiæ, quæ acerbitates quasque ita mitigare novit ac condire, ut, qui semel eâ præventi fuerint, molestiarum gravitatem ac pondus minimè sentiant. Id porrò pretiosum gratiæ munus, quod mitigandis ac condiendis quodammodo proprijs cujusque conditionis incommodis est natum, si neminem unquam deficit, qui quodlibet vitæ institutum volente atque impellente Deo fuerit amplexus, quantò largius atque magnificentius impertitur illis, qui vocantis Dei motibus obsequentes difficilem ac laboriosam insistere viam non dubitaverint?

Atque hoc erat, quod olim D. Bernardus nobilibus quibusdam viris, qui ad ipsum divertent, innuebat. Stupebant illi, vixque suis credebant oculis, dum cernerent Juvenes bene multos, qui se ipsius disciplinæ erudiendos tradiderant, insignes plerosque nobilitate sanguinis, & mollioribus à puero assuetos delicijs, pares jam inveniri ferendis gravissimis laboribus, quales illud vitæ genus, quod profitebantur, exigebat. Quibus vir ille sapientissimus idem ac sanctissimus uno verbo non verè minùs quàm ingeniosè respondebat, *Cruces quidem videtis, unctiones verò non videtis.* Durum videtur vobis noctem orationibus in somnum trahere, corpus inediâ, vigilijs, afflictationibusque macerare, omnibus, quæ natura fert, commodis abstinere, nullum facere totâ vitâ, quàm longa est, torquendi se ac cruciandi finem: cruces quidem illæ sunt, amici, quas videtis, at non videtis unctiones, quibus cruces illas Deus ungit ac temperat. Ah! si penetrare vobis liceret intimos animi nostri recessus; si perspicere possentis, quibus anima innocens suavitatibus perfundatur, quibus delicijs affluat, quàm puris sincerisque voluptatibus recreetur; non jam mirari contingeret, quòd gravissimas quasque religiosæ vitæ molestias

tam alacri, tam constanti animo perferamus; quòd rigida paupertatis angustias, afflicti maceratique corporis asperitates, perpetuas duri improbique laboris exercitationes lato semper atque hilari vultu subeamus; non jam miseros, qui in cœnobijs degunt, sed beatos; non inopes, sed divites, non insipientes, sed sapientes, non dignos commiseratione, sed mortalium omnium florentissimos appellaretis. *Cruces quidem videtis, unctiones vero non videtis.*

Verùm juvat id ipsum, quòd diximus contrariã omnino experienciã confirmare; mentem advertite, Adolescentes, oculosque conjicite in eos, qui in medio rerum mundanarum commercio positi, beati præter cæteros ac fortunati repñtantur. Unde fieri putatis, ut tam pauci sint ex illis, qui se contentos suã sorte audeant profiteri? Alij inter aggestos pecuniarum cumulos miserã premuntur egeitate; alij mollissimis deliciarum illecebris perfusi assiduis dolorum aculeis cruciantur; alij supremo honorum in fastigio collocati crudelissimã laborant ambitione: quæ causa est, inquam, tam insolitæ tamque inexpectatæ perturbationis, nisi quòd hominum bona pars, cum inconsulto atque obnitente etiam plerùmque Deo, se se in ejusmodi conditionem vitæ intruserint, meritò destituantur illis gratiarum præsidijs, sine quibus beatam ac felicem, quocumque tandem in statu, vitam vivere nemo possit?

An non eòdem referenda pariter origo humanæ pravitatis atque corruptelæ? Quid enim in orbem terrarum vitiorum illam eluviem demergentem urbes; inundantem agros, in aras etiam ac templa grassantem induxit? Unde jus desideratur in foro, in aulis pietas, in juventute pudor, in conjugijs fides? unde vix aura Christiani spiritus tenuis, vix avitæ religionis umbra superest? *non est qui*

qui faciat bonum, non est intelligens, aut requirens Deum, inquit Regius Vates, Psal. 13. Cur autem? *Omnes declinauerunt.* Nam quis, amabo vos, in tantis peccandi illecebris, quantas habet mundus ille, quem incolimus, vitia fugere; quis in tantis virtutis exercendæ impedimentis studere virtuti possit, nisi singulari divinæ gratiæ præsidio confirmetur? Singulares autem illæ gratiæ, ut jam innuimus, & sanctorum Patrum Theologorumque testimonio exploratum est, certis quibusdam circumstantijs, locis, temporibus, ministerijs, vitæ conditionibus alligatæ sunt: ab illâ conditione, ministerio, loco tuo deflexisti, refugisti, recessisti, ergo à divinâ gratiâ, virtute, iustitiâ, cælo ipso declinasti. *Non est, qui faciat bonum. Omnes declinauerunt.*

Ad illam gratiarum privationem, quâ mulctantur illi, qui vocantem Deum audire neglexerunt, accedit individua privationis illius comes, miserrima plerumque vitæ series, quæ præconceptas in laxiore vivendi formâ iucunditates frustratur ac deludit; sic ut illi tristissimam sortem, quam Israëlítico populo minitabatur olim Deus, meritò experiantur. *Si audieris vocem Domini tui, Deut. 28.* inquiebat Deus populum suum adhortans ad implendam legem, quam sanciverat, *venient super te benedictiones universæ & apprehendent te; benedictus eris in civitate, & benedictus in agro, benedictus eris ingrediens & egrediens: Immittet Deus benedictionem super omnia opera manuum tuarum, & abundare te faciet omnibus bonis; Mox contraria minitans fata, si parùm obsequentem populum habuisset, adjicit. Si nolueris audire vocem Domini tui, venient super te maledictiones universæ: maledictus eris in agro, maledictus in civitate, emittet Dominus super te esuriam & famem, donec conterat te & perdat velociter.*

An non enim verò malorum genus omne videmus quotidie in eos incidere, qui, cum ad sacer-

dotium, vel ad sanctioris vitæ genus vocati essent, solutioris vitæ deliniti illecebris, parentum blanditijs victi, æqualium seducti exemplis, amplissimi patrimonij expectatione superati, conjugijs, armis, negotijs se se immiscuerunt. Miramur aliquando viros florentes opibus & dignitate præstantes, repentino fortunæ flatu nudatos ac spoliatos, ad extremas inopiæ sordes & incommoda redactos; quæ tam insperatæ calamitatis causa? *Vocavi & renuisti.* Prov. 1. Queruntur nonnulli sibi omnia malè succedere, sublapsa retro ferri negotia, terram sterilem, arefcere sibi cælum; si contrahant, fraudem pati; si lite contendant, causâ cadere. Quæris causam? *Vocavi & renuisti.* Videmus aliquando non sine tacitâ indignatione jurgia, diffidia, rixas inter conjuges; nulla pax domi, nullus societatis fructus, inimica cuncta & hostilia: ne mirè; *vocavi & renuisti.* Audimus interdum adolescentes bonæ olim frugis, morumque suavissimorum, nobis notos & consuetudine conjunctos, ex primis illis, quibus imbuti olim fuerant, pietatis institutis, ad perditorum juvenum transisse mores, in eorum societatem immisisse se penitus, cum ijs domi, cum ijs foris, cum ijs interdiu, semper cum ijs & ubique; mox ortâ contentione ventum ad jurgia, statim ad arma, dein in arenam, depugnâsse, concidisse: alium occubuisse susceptis alienis inimicijs, alium æmulum odijs oppressum, alium inter ludos, computationes, aleam, & tumultuantium rixas miserabiliter obiisse: quid ita? *Vocavi, & renuisti.*

Hic verò, quanquam animus horret & prælustu nimio meminisse refugit, non possum tamen quin vestrâ omnium gratiâ obductam nondum refricem plagam, quam tristissimus unius ex meis discipulis interitus non ita pridem infixit. Erat ille ex nobilissimâ editus prosapiâ, formâ corporis egre-

egregius; ingenij vi, subtilitate, perspicaciâ nemini inferior. Accedebat mira quædam indolis suavitas, candor animi, morum innocentia, pietas singularis & in perfungendis singulis officij sui partibus accurata sedulitas. Is Melitenses inter equites admodum puer adscriptus, strictioris vitæ desiderio militaris ordinis insignia, Crucem posuerat, & Ecclesiasticæ militiæ dederat nomen, totum se postmodum divino obsequio mancipaturus. Interim mediâ in acie occidit frater natu major, juvenis omni laude cumulatus. Ille, cujus miserabilem casum describimus, occiso fratre, diu multumque dubitavit, incertus quid ageret. Hinc ampla, quæ labantis domus columnen unicum spectabat, hæreditas, insitus nobilium sanguini illustrandi nominis amor, Majorum gloria, & recens adhuc fratris pro patriâ fortiter morientis exemplum juvenilem animum invitabant. Inde retrahebant providendæ inter cætera salutis sollicitudo, multa, quibus militaris vita obnoxia est, pericula, & firmum, quod elicuerat jam sæpius, devovendi se in omne tempus altaris ministerio propositum. Vicit tamen Adolescentis constantiam parentum libido; & splendidioris fortunæ fulgoribus perstricti juniores oculi, à pervidendis rerum æternarum momenti abstinerunt. Quid plura? Vocantem Deum negligit: Ecclesiasticæ disciplinæ profitendæ abjicit consilium, ad arma convolat, & ... Sed quid ego hæc revolve tam tristia, tam ingrata? ah! finite me saltem, Adolescentes, aliquas acerbissimo juvenis amantissimi fato lacrymas impertiri: finite inanibus quanquam, nihilque profuturis querelis prosequi luctuosam funestissimi casûs memoriam. Vix erat ille ad primam expeditionem bellicam profectus, cum ecce repentina inter ipsum aliûmque ejusdem ætatis socium rixa incidit. Venitur ad manus, stringuntur enses, digladiantur

Q5

ambo

ambo paribus animis atque odijs, donec infelix juvenis, quem servatum vellemus & incolumem, lethali confossus vulnere animam exspirat, brevi quantumvis ad pœnitendum temporis spatio privatus. O duras miseri adolescentis vices! ô sortem asperam, ô mortem acerbissimo fletu deplorandam!

Hinc porrò sumite exemplum!, quod vobis ex usu sit, Adolescentes. Intelligite, quanti sit ad salutem æternam vocanti Deo esse obsequentem; ac si vocem Domini aliquando audieritis, oro vos atque obtestor cum Regio Vate, *nolite obdurare corda vestra*, Psal. 94. Verùm sit hæcenus satis ostendisse quanti momenti sit ad salutem, divinam in eligendo vitæ statu vocationem sequi; jam quibus illa vocatio rationibus innotescere possit, diligenter inquiremus.



DE STATU
VITÆ
RITE ELIGENDO.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Psal. 24.

ORATIO XX.

Quæ dicta sunt nuper à nobis ad demonstrandam divinæ vocationis sequendæ necessitatem, nulus ego dubitem, Adolescentes, quin ita convicerint unumquemque vestrùm, ut animis benè præparatis

paratis nihil aliud optandum superfit, nisi ut certis indicijs divina vocatio se prodat. Hæc autem supremæ voluntatis declaratio circa vitæ statum, qui vobis eligendus incumbit, etsi singulare divinæ beneficentiæ munus reputari debet, propter arctissimam, quam habet cum ipso salutis negotio necessitudinem; tamen nihil est, quod tam ultrò vobis revelet Deus, si passim obviam, ac positam in medio divini consilij perspicendi rationem adhibueritis.

Verùm, ne quid desiderandum vobis relinquatur ad perfectam argumèti, quod tractamus, absolutionem; attendite animis, & triplicem, quam hodie vobis subjicio divinæ voluntatis cognoscendæ viam accipite. Consulendus ipse ante omnia Deus, quid facere de unoquòque vestrùm velit, hoc primum. Adhibendus in consilium divinæ voluntatis interpres, aliquem dico probatæ virtutis ac sapientiæ virum, hoc alterum. Denique perscrutanda in se ipso divinæ voluntatis quasi semina, hoc Tertium. Hæc sunt, Adolescentes, certissima & nunquam fallentia ad eligendum feliciter vitæ statum præsidia. Verùm heu! quàm præposterè, quàm perversè bona pars hominum! ordinis illius rationem invertit! Dixi Deum ipsum ante omnia consuli oportere; at quàm multi sunt, quibus parùm interest, vel scire, vel sciscitari quid velit Deus, si modò mundum ducem habeant, & consentaneam ipsius opinionibus atque institutis vivendi formam amplectantur!

Hinc quia illæ conditiones vitæ maximo sunt apud homines in pretio, quæ plurimum habent æstimationis in vulgus, & reverentiam quandam atque auctoritatem conciliant; nemo ferè est, qui, si pervenire ad illas possit, aut ad easdem non aspiret totis animis, aut deliberatione maturiori, priusquam contendat illuc, opus esse arbitretur. Hinc filius familias nobilis, si fuerit multorum fratrum natu maximus, ratam vel ex hoc uno vocationem habet; paternam

ternam dignitatem animo præcipit; neque suspicari veniet in mentem potuisse se alteri vitæ instituto à divinâ providentiâ destinari; nimirum sic invaluit usus, ita vivitur: ac si quis religiosior paulò aut deliberandum sibi putet, aut abjectis contra morem ac consuetudinem paternæ domûs commodis strictioris vitæ molestias amplectatur, ab alijs exploditur, ab alijs sanioris consilij viris prodigij cujusdam loco reputatur.

Dixi adhibendum aliquem probatæ virtutis ac sapientiæ virum, quo divinæ voluntatis interprete uti liceat; at quæ solet esse multorum agendi perverfitas, si quam in eligendo vitæ statu difficultatem patiantur? quos adeunt in re hujusce momenti consiliarios? quibus penitiores animæ suæ recessus aperiunt? Dicamne, Adolescentes? amatores mundi, rerum terrenarum sectatores, flagitiosos plerumque & corruptelâ depravatos in consilium adhibent: eorum dicta, tanquam effata, responsa tanquam oracula reverentur; eorum se duci arbitrio, regi voluntate, libidine circumagi patiuntur: qui tamen omnes, cum cæci sint, & duces cæcorum, quid pronum est evenire; nisi quod dicebat Christus, *cæcus si cæco ducatur præstet ambo in foveam cadunt*. Math. 15. Quidam sapientiores in speciem prioribus, at nihilo tamen re ipsa cautiores rem destinationis suæ totam parentum voluntati moderandam relinquunt, rati neque se etiam obsequij in ea re sui mercede carituros, si, quod illi, à quibus hauserunt lucem, æqui bonique consuluerint, inquisitione ulteriori prætermisâ, ultrò amplectantur. Quos quidem quantum sua ratio fallat, vel ex eo licet intelligere; quòd parentum plerique, quoties de promovendis ad aliquem vitæ statum liberis cogitant, non tam providere solent, quid æternæ ipsorum salutis maximè conducatur, quàm ut eas agant in vita partes, unde plurimum sibi liberisque suis gloriæ & emolumentum accrescat.

Dixi

Dixi denique in eligendo vitæ statu perscrutanda in unoquóque quædam quasi femina, quibus divina voluntas se prodit. At id ipsum quàm pravè interpretantur, qui tam insitas à natura, quàm inductas consuetudine malâ cupiditates ita consulunt, ut eam inter cæteras sortem ambiant, quæ effrænatis ac corruptis affectibus favere impensius possit.

Et mirabitur postea quispiam, si adhibitis tam ineptis consultoribus in eas plerique vices incurrant, in quibus multis jactati tempestatibus, & crebris allisfi scopulis tristissimum denique naufragium faciant. Cavete igitur, Adolescentes, ne in eadem pericula aliquando incidatis; occludite diligenter aures vestras perniciosis consiliarijs; audite lubentiùs Spiritum sanctum salubriter sacris in Literis unumquemque vestrùm commonentem. *Fili, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis; Prov. 1. Fili, post concupiscentias tuas ne eas, & à voluntate tua avertere. Eccl. 18.*

I. P A R S.

Ad quem igitur ibimus, Adolescentes, nisi ad eum, qui verba vitæ æternæ habet? Dominum Jesum intelligo, qui de se ipse profitetur. *Ego sum via, veritas & Vita. Joan. 14. Via est, inquit Bernardus, hunc sequamur: veritas est, fidem habeamus: vita est, ad eum adspicimus.* Accedite igitur ad eum cum fiducia; efflagitate omni studio divinam lucem, quæ nebras mentis vestræ dissipet, & voluntatis pertinaciam emolliat. Intate votis & obsecrationibus; neque dubitate, quin facilem Deum ac placabilem inveniatis. Nam si tam solenni jurejurando fidem ipse suam obligavit, pollicitus ratas se habiturum petitiones nostras, *Petite, & accipietis. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis Joan. 16. Dicitte amabo, Ecquando lubentiùs exauditum iri vos ab omnipotenti Deo arbitramini, quàm dum postu-*
labitis

labiis omni ope rem illam, ex quâ vestra pendet æternitas.

Erumpite igitur frequenter in has voces cum Regio Psalte. Psal. 24. *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Ecce, Domine, quantum in me est, propero venire ad te; at non satis scio, quâ potissimum insistam viâ. Video quotidie tam multos in unoquoque vivendi instituto, qui à recta virtutis, salutisque semitâ deflectunt: nulla est vitæ ratio tam sancta, quâ quis abuti ad perniciem suam non possit, nisi tu illam proprio voluntatis tuæ sigillo consignaveris. *Deus meus, illumina tenebras meas.*

Pf. 17. *Notam fac mihi viam, in quâ ambulem.* Pf. 147. Statim atque divini tui luminis splendor illuxerit, & offusam menti depulerit caliginem, pergam, quacumque jusseris. Non me vel viarum angustia, vel locorum asperitates, vel difficultatum salebræ à proposito deterrebunt. Gratia tuæ præsidio fretus, ibo medios inter salutis hostes imperterritus, nec timebo mala, dum mecum eris, Domine, & sub umbra alarum tuarum incedam. *Quid me vis ergo facere, Domine JESU? quid faciendo vitam æternam possidebo?* Luc. 10.

Ita compellendus amanter Deus, Adolescens Christiane, quisquis es; si divinæ dispositionis ordinem manifestum tibi fieri volueris. Neque satis est semel atque iterum ita Deum sollicitasse; sed iterandæ frequenter preces ejusmodi, quoties aut ad orandum accedis, aut templa ingrederis, aut divinis rebus adsistis, aut peccatorum sordes sacro Pœnitentiæ lavacro abluis, aut Christi Domini corpus intra penitissimas pectoris tui partes excipis. Tunc enim providere potissimum debes, ne qua te tam pretiosi temporis particula prætereat; quin Deo plenus, atque, ut ita dicam, Deo animatus rem illam tanti ad salutem momenti cum eo liberius ac familiarius excutias; latentes ipsius sensus scruteris; erumpentem clam

clam ex intimis cordi tui penetrabilibus ejus vocem audias; &, quidquid statuere de te ipsi placuerit, ejus te arbitrio regi promptum ac paratum exhibeas. Sic ut cum juniore Samuele verè & ex animo profiteri possis, *loquere, Domine, quia audit ser-
vus tuus.* 1. Reg. 3.

Aliam Deus instituit suæ nobis declarandæ voluntatis rationem, sacras Literas intelligo; in quibus tam clarè nonnunquam, tam manifestè loquitur, ut quid velit ab unoquoque nostrum, ignorare non liceat. Sic Antonium olim solitariae vitæ principem, & Nicolaum illum Tolentinum privatis negotijs eripuit, & asperissimo vitæ instituto mancipavit. Evolvenda sunt ergo & animo retractanda diligenter illa Christi oracula, quibus Religio Christiana suis veluti principijs ac fundamentis tota nititur. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, anima verò suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro animâ suâ.* Matth. 16. *Quàm difficile est, Divitem intrare in regnum cælorum.* Matth. 19. *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, & quæ parasti, cujus erunt?* Luc. 12. *Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt in eam.* Matth. 7. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. Væ vobis, quia habetis consolationem vestram.* Luc. 6.

His & alijs Christi documentis perpensis seriò, & ad severum examen revocatis, cogitabis tecum, Adolescens Christiane, quid te facere demum oporteat, ut ad normam veritatis Evangelicæ vitæ rationem elegisse videaris. Intuebere animo punctum illud temporis, quo tibi cedendum erit è vivis & in domum æternitatis tuæ commigrandum. Quid fecisse velim, inquires, cui vitæ generi optem adhæsisse, cùm moriar? Forensi? Religioso? Sacer-
dotali?

dotali ? Militari ? Mihine tunc proderit aggestos pecuniarum acervos animæ meæ dispendio cumulasse ? an juvabit quidquam ad salutem exemptum è turba cæterorum mortalium amplissimis honoribus præfulsisse ? an gaudebo inter mundanas delicias , & mollissimas quasque voluptates vitam contrivisset Quid æquius est , quid rationi consentaneum magis , quàm ut mihi præstandum putem , quod præstitisse tum lætabor ; id amplectendum judicem , quod amplexum fuisse me tum minimè pœniteat :

II. P A R S.

Tamen si consulto per frequentes preces , & serias sacri eloquij meditationes Deo nondum satis constaret vobis , quod potissimum vitæ genus inendum incumbat ; alteram breviter subjicio vobis voluntatis divinæ indagandæ viam , nimirum ut , re communicatâ cum aliquo probatæ virtutis ac sapientiæ viro , ipsius consilijs , atque responsis standum omnino æstimetis. Est enim illa divini regiminis satis frequens , atque usitata ratio , ut non per se , sed per eos , quos præposuit suæ voluntatis interpretes , sua nobis consilia declaret , & aperiat. Talem se olim Christus exhibuit , cùm Paulum in vas electionis ad portandum nomen suum coram gentibus ac Regibus assumpsisset. Ille , ut scitis , Judaicæ Legis æmulator ac vindex , spiransque minas ac cædes in Discipulos Domini literas à Principibus Sacerdotum acceperat , & pergebat Damascum , ut , si quos invenisset Christianæ Religionis cultores , illos vinctos traheret , ac Jerosolymam perduceret. Ecce autem cùm iter faceret , & appropinquaret civitati , circumfulsit eum lux repente de cælo , & excussus , quo ferebatur , equo , dejectusque in terram , inter erumpentes sonitus ac fragores insonantem auribus suis vocem audiit. *Saule, Saule quid me persequeris? Act.9. Ego sum Jesus.*

Jesus quem tu persequeris. Hac cœlesti admonitione conversus & in alium mutatus omnino virum Paulus cum subiecisset: *Domine, quid me vis facere?* Ibid. Non erudit Paulum per semet ipse Christus, sed mittens eum ad Ananiam, dixit. *Surge, & ingredere civitatem & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Interim Dominus in somnis Ananiam admonuit, & quod ministerij genus Paulo crederet, edocuit, & dixit ad Ananiam Dominus. *Vade, & quære Paulum Tarsensem . . . quoniam vas Electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus & filijs Israël.* Ibid.

Nolite igitur deinceps mirari, Adolescentes, si flagitato sæpius divino lumine, ad perspiciendum vitæ statum, quem ingredi vos Deus velit, suspensus hærebit animus, nec cui potissimum instituto adjungat se se, intelliget. Sed adite confidenter viros illos, quos Dominus constituit conscientia vestrae moderatores, & Pastores animarum vestrarum. Illi, illi sunt, per quos erudiri vos licebit, quid ab unoquoque vestrum Deus requirat: depositum apud eos est destinationis vestrae mysterium: hanc illis Deus imposuit provinciam, ut securum vobis tramitem aperiant, & se laboriosissimæ cujusque ac difficilis viæ duces adjungant. Existimate totidem Ananias illos esse, quibus aperuit Deus, quæ vestris ipsorum oculis abscondit. Hoc præstate tantum, ut intimos animi vestri recessus cum ingenio candore recludatis; ut varias vestri cordis tam in bonum quam in malum propensiones atque affectiones sine fuce exponatis: ut immisos identidem divini luminis radios, & arcanos cœlestis gratiæ motus fideliter expandatis: denique sic animo præparati ad eos accedite, ut eorum responsa, tanquam totidem oracula & indubitata divinæ voluntatis indicia accipiat, & exequenda viriliter proponatis.

R

III. PARS.

III. P A R S.

Restat jam unum, Adolescentes, ut in eligendo vitæ statu se ipsum unusquisque consulat : quâ in re tria vos monebo potissimum. Ac primò quidem investigandus in vobis singularis ille situs animi, consulenda arcana illa propensio voluntatis, quam natura ipsa indidit ; quæ recentibus è partu ita sit impressa, ut infantia, pueritiæ, atque adolescentiæ gradus decurrentibus constanter adhæserit ; istos enim plerisque videmus esse igniculos, qui statim erumpant in apertum, & alios ad bellica pericula, alios ad preces, ad cantus templique ministeria, alios ad privatam solitariamque vitam ab ipsis incunabulis inclinent. Hæc, inquam, levia quædam sunt præfagia futuræ consuetudinis, & quasi divinæ voluntatis semina : horum etiam habenda ratio est, præsertim si non immissa extrinsecus, sed sponte liberèque suscepta ; non nova, sed nata nobiscum atque edita ; non intermissa, non volubilia, sed firma, sed continua ; non ullo motu cupiditatis, aut spe utilitatis aut libidinis labe corrupta, sed puro, sed pio cum affectu divinam ad laudem æternamque salutem unicè referantur.

Proximum est in corporis animique facultates inquirere sedulò ; an illi, de quo agitur, vitæ statui conveniant ? Tenuissimis es viribus, fragili & propè nulla valetudine, vigiliæ, inedia impatiens, & bellicis, aut religiosi laboribus te destinans ? Tardiore es ingenio, ignarus, hebes in Literis, nullâ proficiendi voluntate, nullâ spe : & ad sacerdotium, ad curam animarum, ad verbi divini administrationem adspiras ? Malè te profectò, imprudenter, temerè alienis ministerijs immisces. Huc te si Deus invitaret, ijs te instruxisset facultatibus, quæ sunt officijs ejusmodi necessaria. Ad illa nihilominus tot impar officijs accedis ? à divinâ voluntate declinas, discedis.

Postre-

Postremum est, Adolescentes, ut ad pravās etiam affectiones animi, tam eas, quibuscum nati estis, quàm illas, quas peccandi consuetudo induxisset, diligenter attendatis: non quidem, ut eam putetis eligendam vitæ conditionem, quæ pravis illis cupiditatibus impensius faveat; sed potius illud præferatis inter cætera vivendi genus, quod majora vobis ad refrænanandos libidinum motus præsidia suppeditet. Videndum ergo accuratè unicuique vestrùm, an sibi à natura sic comparato, hac imbuto consuetudine, his animi motibus agitato, vitæ ille status, quem ambit, congruat, & ad salutem idoneus sit. Quot in eo pericula, quot adjumenta Christianæ pietatis, qui vitandi scopuli, quot vitijs suis fomenta, quot remedia sufficiat. Avarum te, cupidum te nosti? Vita hæc avaritiam fovet? hanc fuge; si sequeris, de te actum est. Incontinentem te, intemperantem, libidinosum fateris? vita hæc soluta, mollitiæ proxima, delitijs influens? hinc discede; nî facis, de salute tua conclamatum est. Sed vitam reperisti, quæ medicinam avaritiæ, libidini frænum, intemperantiæ repagulum, incontinentiæ modum allatura sit? bene est; hic te securum, huc te vocatum existimâ.

Antequam facio de hoc argumento dicendî finem, finite adjiciam pauca, quæ orationi toti coronidis loco sint. Primum est; cùm ad indagandam Dei circa vos voluntatem accedetis, animum, quantum erit in vobis, ita comparate, ut nullam conditionum omnium ambiat impensius, sed omnî prorsus affectu nudatus ac spoliatus ad omnem cælestis gratiæ impulsus præparatus veniat; quamdiu enim in aliquod speciatim vitæ institutum ultro inclinabitis, vix ac ne vix quidem, mihi credite, cupiditatis incitationes ab internis vocantis Dei motibus licebit internoscere.

Deinde ut in excutiendo vocationis vestrae

R 2

nego-

negotio laborandum esse vobis quantocyùs existimetis. Eam enim jam attingitis plerique maturitatem ætatis, quæ deliberandi eâ de re vobis necessitatem imponat. Neque illud etiam verebor profiteri, nullum fore unquam vitæ vestræ tempus, quo divina benignitas sua vobis ad rem hujusmodi lumina vel lubentiùs, vel magnificentius impertiat. Agite enim, erit deinceps flexus ætatis divinæ majestati acceptior, quàm ille quem decurratis? Ecquando erunt vel mores magis candidi, vel vita purior, vel à gravioribus flagitijs vita alienior? Jam ipse frequentissimus Sacramentorum usus, assiduum precandi studium, diligens quædam & accurata in obeundis pietatis Christianæ officijs sedulitas, quanta sunt ad promovendam vocationis divinæ notitiam adjuncta! *Quærite igitur Dominum, dum inveniri potest, invocate eum dum propè est.* Isai. 55. Postquam semel disciplinæ illius, sub quâ adolescitis, cancellos prætergressi latam ac spatiosam mundi semitam primis vestigijs consignaveritis, quis scit, num vos tam flexiles ad omnes gratiæ suæ impulsus Deus inveniat? An non multò potiori jure timendum, ne tunc cupiditatum vestrarum æstibus incitati, exundantis undique corruptionis profluvio abrepti, perniciosi nefariorum hominum exemplis depravati, sic in omne flagitiorum genus incurratis, ut iratus vobis meritò Deus, aut cælestes luminis sui radios omnino subtrahat, aut eos impertiat tantùm, qui nec offusas cæcitate vestræ tenebras dissipent, nec cordis vestri duritiam emolliant? Veniet fortassè tempus illud, cum occæcatis pravâ peccandi consuetudine mentis vestræ oculis & obturatis cordis auribus, nec exhibentem se vobis Deum cernere, nec audire vocantem poteritis. Igitur *dum lucem habetis, ambulate in luce, ne vos tenebræ comprehendant.* Joan. 12. *Perscrutamini, dum integrum est, divinæ voluntatis indi-*

indicia, & quam facit jam Deus rei momenti hujus cognoscendæ facultatem, in lucro ponite.

Denique oro vos atque obtestor cum Regio Vate, Adolescentes, *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Psal. 94. Si pro suâ in vos benignitate Deus Optimus Maximus, quid velit ab unoquoque vestrum, notum atque perspectum fecerit; videte ut vocanti Deo obsequamini. Ne vos vel cupiditatum illecebræ, vel blanditiæ parentum, vel liberioris vitæ amor deterreant, quominus divinæ voluntatis arbitrio moderandos vos penitus permittatis. Felices fortunatique, si quos è vobis Deus speciali quadam benevolentia complexus ex communi illâ, quæ totum pæne orbem depravavit, corruptionis massâ selegerit, ut in puriore cæli plagâ collocatos obsequio suo mancipet. Caveant illi inter cæteros, ne vocanti Deo obsurdescant; ne inanibus austerioris paulò vitæ difficultatibus perterriti oblatam sibi pergendi ad beatam immortalitatem semitam ingredi refugiant. Meditentur secum identidem terribiles illas voces, quas divinæ vocationis prævaricatoribus Deus comminatur. *Vocavi & renuistis; extendi manum meam, & non aspexistis; omne consilium meum & increpationes meas neglexistis, & ego* Audite, Adolescentes, horrendas indignantis & fulminantis Dei minas & contremiscite, *& ego in interitu vestro ridebo & subsannabo vos.* Prov. 1.

Ego misertus tui, infelix Adolescens, & tristissimum, quod jamjam subiturus es, fatum avertere cogitans, aperueram tibi securum viæ tramitem, quem feliciter ingressus per varias vitæ hujus tempestates ac metuendos scopulos ad beatum felicitatis æternæ portum evasisses; prævidebam quàm parùm præsidij adversus corruptelam morum nancisceris in medio nationis pravæ positus: noveram te in vitium flecti facilem ac cereum, fe-

lici quidem atque ingenuâ indole præditum, sed propenium plus æquo ad voluptatem. Inter laudabiles illos, quibus ad pietatis virtutisque studia ferebaris, affectus, perspiciebam quædam corruptelæ semina, quibus si perniciofa vis exempli & deliciarum illecebræ pabulum ac fomentum afferrent, in turpissima vitia aliquando excrescerent. Hæc, inquam, omnia cum probè scirem, cum periculofam salutem tuam fore liberioris vitæ formam præviderem, invitavi te, vocavi te, attraxi te ad severius quidem ac sanctius vivendi institutum; nec illustrare mentem puriori lumine, nec arcanis motibus impellere voluntatem destiti. Tam notum tibi, tam spectatum feci, quid vellem, nihil ut obscuro, nihil ambiguum superesset; sed consilium meum despexisti, increpationes meas neglexisti, vocavi & renuisti; Et ego in interitu tuo ridebo & subsannabo te. Vocabis me vicissim ruinæ tuæ proximus; ego autem non exaudiam; lacrymas tuas, suspiria despiciam, & quam tibi ipse nexeris, calamitatis seriem non dissolvam.

Atque utinam, Adolescentes Christiani, non tot tamque illustria divinæ ultionis exempla suscipere. Hinc sumite documentum, Adolescentes, quanti sit exhibere se vocanti Deo docilem & obsequentem: quàm ineluctabilis pernicies illis immineat, qui monstratam à divinâ Providentiâ vitæ semitam inire neglexerint: quàm sit arduum atque operosum declinantibus ab eo speciali tramite optatum felicitatis æternæ terminum unquam assequi. Quamobrem hortor vos iterum atque iterum, ac vehementer obtestor, ut, quàm sedulo debet unusquisque vestrum in eligendo vitæ statu divinam voluntatem perscrutari, tam diligenter eandem sequi, postquam innotuerit illa, contentat.

ORA.